









QUINQUAGENA  
SYMBOLICA,

IN PRÆCIPUA CAPITA, ET DOGMATA

SACRÆ REGULÆ  
SS. MONACHORUM PATRIS & LEGISLATORIS

BENEDICTI,

OMNIUM JUSTORUM SPIRITU PLENI:

*Tanquam*

VERA EFFIGIE  
REVERENDISSIMI PERILLUSTERRISSIMI

AMPLISSIMI

DOMINI, DOMINI

CHRYSOSTOMI

*Sacri & Exempti Ordin. Cisterc.*

Antiquissimi, & Ducalis Monasterij Vallis B. M. V. de  
Campo Liliorum

ABBATIS QUINQUAGESIMI,  
ET VIGILANTISSIMI,

Sacræ Regiæ Majestatis Hungariæ & Bohemiciæ, Archi-  
ducissæ Austriæ &c. &c. Consiliarij, ejusdémque Sacri suprafati Ordi-  
nis per utrámque Austriam, & Stiriam, Regnúmque Pannoniæ Visitatoris ac  
Vicarij Generalis,

PROFESSI, & SACERDOTIS  
JUBILATI,

*Domini, Domini Gratiofissimi,*

Inter ipsa Sacerdotij Jubilei Solemnia die 23. Julij Orbi exhibita

AB

EXULTANTIBVS DEVOTIS LILIGERI GREMII SUI FILIIS.

*Inferitur*

CONSPECTUS

*Edendorum*

FASTORUM CAMPILILIENSIVM.

CREMBSIJ, Typis Ignatij Antonij Präxl, Universitatis Viennensis Typographi

verte!




300-7/1940

= 12








I. IAM DIU PLACUISTI.




I.

II. IN HYEME AESTAS.



II.

III. HINC TIBI DIVITIAE.



III.

IV. MEMORABILIS EPOCHA.




IV.





# DEDICATIO.



Registi feliciter fermè abhinc bien-  
nio Quinquagesimum Professionis,  
nunc etiam Sacerdotij tui Annum:  
edidisti Vota, egisti Sacra Jubilea:  
Benedixisti nobis Sacerrimis Mani-  
bus Tuis, devotissimo à nobis osculo delibutis,  
Reverendissime, Perillustris, ac Amplissime D. D.  
PRÆSUL, Abba Pater, & Vicarie Generalis  
Gratiosissime. Ne igitur verecunda nimiùm Hu-  
militas Tua indignetur, si in hac Die Tua, quam  
fecit Dominus, *beatus*, qui Te circumstat, Fi-  
liorum Tuorum *Populus* palàm profiteatur, *se-  
scire Jubilationem.* (a) Præcepto Ter optimi Ma-  
ximi DEI, Anni quadragesimi noni mense septi-  
mo die decima *clangendum erat buccina*, & an-  
nunciandum Propitiationis tempus in universa  
Terra Israël. (b) Sanctificare oportuit *Annum*  
a 2 *Quin-*

(a) Psalm. LXXXVIII. v. 16. (b) Numerabis quoque tibi septem hebdomadas anno-  
rum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem. Et  
clanges buccina mense septimo &c. *Levit. XXV. v. 8. seqq.*

*Quinquagesimum*, & appellari debuit *Remissio cunctis habitatoribus Terræ suæ*: Ipse enim erat Sabbatum Sabbatorum, *Annusque Jubileus*, in jubilo agendus. Liceat itaque etiam nobis per Te, exultare in Te: qualiter citra dubium exultat Spiritus Tuus in DEO Salutari suo. Quantum Te cunque laudari putaveris, magnificari in Te audies Dominum Tuum. Bonus es, & optimus: tutè verò intelligis, per quem sis bonus. Sed & nos pariter à Te sat supérque jam didicimus, omne datum optimum, & omne donum perfectum unde descendat. Uti Virtus laudata crescit apud eos, qui boni jam sunt: ita pariter illa benè merito excellentiæ suæ præconio, veluti semine quodam fœcundo, ad alios propagatur. Nisi laudata nobis fuissent, quæ fecit DEUS, facitque valde bona, ne ipsum quidem DEUM summè bonum novissemus. Dulces igitur fructus Anni Tui Jubilei, Anni Propitiationis, Anni Remissionis, Pater dulcissime, amantissimis Tui Filiis tuis omnium primis indulge: neque, quod aliàs tam summa Modestia Tua identidem solita fuit, quibuslibet laudibus Tuis irascere. Virtuti Tuæ si parem facundiam velles, dies Orationem deficeret. Sed in Tuæ Humilitatis obsequium filere plura studebimus, quàm eloqui. Exiles Geographorum tabulæ regna maxima complectuntur: nos, ut longi ne simus, Tibique eapropter minùs accepti, minimis Orbiculis Symbolicis Jubileæ Gloriæ Tuæ iliadem velut in nuce concludimus. Et quemadmodum Orbis, quà latè patet, universus partibus quatuor includitur: qualiter Annus totidem Angariis effluit: uti Spherica omnis Virtutis moles cardinibus quatuor volvi-

tur

tur : ita & nos pariter Jubilei Tui Memoriam ,  
adeò Seculis dignam , imagunculis nonnisi qua-  
tuor orbi transcribimus. Immo ne flumine  
verborum exuberans Rhetorica Tibi stomachum  
moveat , meros hodie Grammaticos agimus ,  
unámque unicam duntaxat ex elementaribus Li-  
teram nostræ lætitiæ interpretem Te coram sta-  
tuimus. Quid humiliùs exspectes ? Modestif-  
simo itaque Sermoni nostro , quem alij de par-  
citate benè meritæ Laudis Tuæ haud immeritò  
arguent , Tu contrà , qui facere laudanda non  
desinis , laudari verò , quæ feceris , nullibi pa-  
teris , ut favore quàm amplissimo condescende-  
re digneris , enixiùs flagitamus.

**Q**uisquis numerum Quinquagenarium cum  
veteri Roma compendio scripturus est ,  
depingit literam L. Hac porro nota si Annos  
computans , Jubileum designaveris , non aliud  
omen jucundius est : neque aliud aliquod sig-  
num rei suæ , quam indicat , manifestiùs con-  
gruit. Percurrat , per me licet , quisquis vo-  
luerit , vocabula singula , quorum princeps est  
litera L. Quidquid illa boni designant , jucun-  
dissimè confert , quidquid innuunt mali , feli-  
cissimè tollit & aufert Annus Jubileus : si gratiæ  
magis , quàm naturæ rationem admiseris. Pau-  
cula nobis exemplo sint. Annus Quinquagesi-  
mus idémque Jubileus Lacte quàm dulci univer-  
sos inebriat ? Lætitiâ quantam non parit ? Lam-  
pas quàm fulgida splendet ? Lectus quàm suavis  
est , & Lex nóne dulcissima ? Liber est privi-  
legiorum grandis ac confertus : Liberalitatem  
multò maximam profundit : Libertatem resti-  
b tuit.

tuit. Limen illum dicas fortunæ omnis : Litus optatum : Lituum optimè ominantem. Locuples est Copiæ cornu : Locum aperit , in quo bonum est nos esse : Lucrorum immenforum expandit officinam. Contrà verò nunquid Laboribus quietem , Lachrymis finem , Languoribus medelam , Lapsibus veniam , Laqueis disruptionem , Litibus terminum , solamina Luctibus omnibus pollicetur , & præstat. Quisquis hæc tanta ac talia Anni Jubilei præconia obstupescit , Leviticum inspiciat , & quæ ibidem DEUS pro hoc Anno præcepta in omni populo suo electo ediderit , studiosiùs relegat : quorum præcipua erant , ut ab omni labore universa terra Israel Anno illo toto requiesceret , fereret nemo , nemo etiam meteret , omnes porro folius anni præcedentis abundantia viverent : ut omnia debita creditoribus remitterentur : ut singulæ possessiones antea venditæ redirent ad pristinos dominos : ut universi , quotquot servitute ad illud usque tempus premerentur , liberi abirent. Quamquam porro hæc singula Beneficia , quæ in veteri lege populo Hebreo corporaliter contigerant , hodie cessaverint , perdurant nihilominus in Jubileis nostris spiritualibus , quibus plena Animabus nostris per plenitudinem Indulgentiarum libertas , remissio , venia , & requies , ad veteris Jubili Israëlitici similitudinem , lucris multò amplioribus , stato quolibet tempore consequenda offertur. Felix itaque Jubilei Quinquagenarij nota princeps littera L. utique Linguam postulans disertam , Labia facunda : & si verè secundùm DEUM senseris , omni Lapide pretioso adornanda.

Verum-

Verumtamen & Romanis olim qualemcunque hæc Litera usum præbuerit, boni semper ominis erat, laudémque promerita est. Grammatici, ut R. literæ caninæ asperitatem in pronunciando emollirent, sæpius L. pro R. supponentes, dicere v. c. malebant *Puellus*, quàm *Puerrus*, *Libellus*, quàm *Liberrus*. Poëtæ literam L. liquidarum in numero, i. e. mollium, claréque personantium literarum in choro censuere. Critici librorum censuram agentes si quando in margine L. duplex adnotarent, *Locum illum laudandum* innuebant. Oratores, & Historici per literam L. singillatim positam, siue geminatam, designabant *Libram*, *Sestertium*, *Legem*. In Numis, & Inscriptionibus L. simplex, siue conjunctum legi oportet, *Lucius*, *Libertus*, *Lætus libens*, siue *Lætissimè*. Geometris tandem & Architectis hæc Litera formam dedit Regulæ omnium Mensurabilium, quam ajunt Regulam Angularem. Videtis denuo literam L. à veteribus usui nulli, nisi fausto, nisi jucundo adhibitam.

Nobis porro hodie in primo Sacerdotalis Jubili Tui Symbolo, Reverendissime Domine **PRÆSUL**, usu longè sanctiori *Quinquagenaria* hæc *Nota* vicem agit *Columnæ*, cui *Calix Tuus inebrians & præclarus* lætissimè superstat, adstante ad pedem innocenti ac domestica Gentilitia *Columbula* Tua, cum lemmate: **TAMDIU PLACUISTI.** (c) Exegetin Symboli hujus ipse Spiritus Divinus promptè nobis facit ore Prophetæ Isaïæ, quo ajebat: *Ad quem respici-*  
b 2
*am,*

(c) Vide in Tabula prævia Symbolum I.<sup>mm</sup>.

*am, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu,*  
*& tremementem sermones meos?* (d) Sacerdos Altissimi quantum Nomen! Regale est Sacerdotium, teste Doctore Gentium. Potest profectò Sacerdos, quod Reges non possunt: estque apud eum facultas, sine qua Regibus ipsis nulla est salus. Ipse est, cui data est potestas, ne Angelis quidem concessa, Corporis Christi veri, ac mystici. Hostiam volunt salvificam Reges, ac Populi? conficiat eam, & immolet Sacerdos. Peccati vinculo graves summi ac imi veniam ac libertatem exoptant? Ostendant se humili Confessione, ac pro DEO se humiliant Sacerdoti: quippe qui solus ligandi solvendique iudicium habet. Ille Mediator est noster ad DEUM: ille nostram immolat Victimam: ille Propitiationem nostram quærit, & impetrat: ille pro universa Ecclesia Legatione fungitur, nostræque salutis negotium tractat, & conficit. Lumine suo, oriente ex alto, Sacerdos reddit omnibus diem: Pane suo supercælesti pascit omnes in vitam æternam: Potestate sua sibi desuper data spoliatur infernum, referat cælum. Et ideo ad Aram suam humiliter adsternitur Angelorum exercitus, unanimiter supplicat omnis Ecclesia, Animæ purgantes flebiliter gemunt. Esto, persæpe non erubescat mundi superbia, oblivisci, quid debeat Sacerdoti: immo nec vereatur, hoc Mediatore, hoc Iudice suo, veluti famulo uti. Non obliviscitur DEUS, quantum Sacerdoti tribuerit: modò ipse, quis demum ac quantus per DEI sit gratiam, oblitum se esse, vita profana,

fana , vanáque elatione non contestetur. Sapientis Ecclesiastici effato *Sacrificium Justi acceptum est , & memoriam ejus non obliviscetur Dominus.* (e)

Tantus porro cùm sis , PRÆSUL Amplissime , ex eo jam tempore , quo Primitius esse Sacerdos cæpisti , abinde verò quinquaginta ipsis Annis quotidianâ Hostiâ Tuâ sancta & immaculatâ orbi universo immensùm profueris , cùmque præterea Mitram Pastoralem , omni Regum diademate celsiorem , non modò Ipse Sacrato in Vertice geras , verùm etiam Vicaria Generalis Potestate aliis imponas : quàm interim pauperculum & contritum spiritu Te videntibus omnibus exhibes ? quantum Te tremere Sermones Divinos in omni loco manifestas ? Mirúmne esse credamus , si tamdiu Sacrificiis Tuis Omnipotenti placueris , usquequo digna Calicis Tui Columna , qua posthac sustentaretur , Jubilea Quinquagenaria Litera fieret ? Quis demum inficias eat , tamdiu incolumem totum salvúmque conservâsse Te DEUM , quòd Sacris Ille Tuis satiari non queat ? Verè etenim , rursus prædicante Ecclesiastico , *Oblatio Justo impinguat Altare , & odor suavitatis est in conspectu Altissimi.* (f) Vel sola interim , ac tanta tam sanctæ Humilitatis Tuæ umbra manifestat , quàm celso esse debeat apice Tuæ Virtutis colossus.

Atque inde est , quod altero Symbolo nostro miramur : in quo Aram pinximus , cujus stipitem denuo L. litera signat. Ab Ara  
c Vitis

(e) Eccli XXXV. v. 9. (f) Ibid. v. 8.

Vitis excrescit, radiante desuper, veluti sole quodam meridiano, Pane triticeo Eucharistico. Super scripsimus: **IN HYEME ÆSTAS.** (g) Jam equidem in cælo Syrius cæpit ardere: messis tempora agimus: longè à bruma & nivibus absumus, si mensium curricula attendimus. At verò si Venerabiles, & nive puriores gravissimos Canos Tuos, **PRÆSUL** *Jubilæe*, cum animo nostro reputemus, nónne Hyemem intuemur, nives quodammodo cernimus copiosas, Ripheáque frigora præsumamus? Tu tamen Messem hodie, atque Vindemiam in Ara Tua, stupentibus nobis, non secus, ac si Ætatis Tuæ mediam ageres æstatem, instruxisti. Verè hæc Manus Tua non Tua erat, sed Dextera Excelsi. Agrum illum Divinum, quem colis in Ara, vineam illam DEIFICAM, ibidem quam plantas, utique novimus omni tempore germinare, ac parere. Crescunt semper & maturescunt in ea *Fru mentum Electorum*, atque *Vinum germinans Virgines*. Attamen Te Colonum, Te Vinitorem tam diuturnum fuisse, & esse, adeo apud Te laude non vacat, ut summo Te potiùs præconio, vel tacentibus nobis, honoret,

Constat omnibus, cui Domino operam locaveris. Illi nimirum, qui non uni Sacerdotum, neque uno in loco comminatus est, quod apud Oseam Prophetam integro Collegio Sacerdotali, inquiens. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* (h) Illi Domino, de quo apud Matheum legimus: *Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agri-*

(g) Vide in Tabula Symbolum II. (h) Osee IV, v. 8.



agricolis. ( i ) Illi denique Domino , *cujus zelotes nomen ejus*. ( k ) Usque in Jubileam proinde Ætatem à Domino rarissima benedictione servatus , quàm sanctè Te putemus quotidie in Ara operatum ? Est equidem , qui ibidem offertur , ipsúmque se offert , Agnus absque macula , Hostia sancta , Hostia pura : & semper in Filio suo dilecto complacet Patri Æterno. Interest verò nihilominus , quibus manibus , quæ cordis puritate Oblationem hanc Mundam in cælum Sacerdos submiserit. Catinus immundus nauseare nos facit dulciaria suavissima : vitro impuro massica dulcissima spernimus : Cubile fordidum vel regium thalamum reddit invisum. Ita pariter *Dona impiorum* , uti prædicat Ecclesiasticus , *non probat Altissimus , nec respicit in oblationes eorum : nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur peccatis*. ( l )

Ergo , **PRÆSUL** , & **SACERDOS JUBILEE** , sancta credere necesse est Sacrificia Tua , cui tanto tempore dedit Sanctus Sanctorum , *fungi Sacerdotio , & habere laudem in nomine ipsius*. Cui non , hodie in sancta hac Messè Tua , atque Vindemia lætantium , imaginem quamprimum præbuidisti Senis illius famosi , annosi , probati , coronati , sancti , inquam , Simeonis , de quo , Salutare suum , & omnium gentium , felicibus brachiis intra templum complectente , cantat Ecclesia : *Senex puerum portabat , Puer autem Senem regebat* ? Fama certè Virtutis Tuæ Patriam omnem dudum implevit : Annorum gravitate Nestorem Præfulum agis : Probatum

Te manifestat tam abundans **Benedictio DEI** :  
**Coronam Tuam** omnes hodie his oculis no-  
 stris venerabundi suspeximus in Serto Exultatio-  
 nis Tuæ Jubileo , quo ante nos haud secus , at-  
 que Salomon olim in Diademate suo ante filias  
 Israël , gloria magis & honore , quàm floribus ,  
 coronatus processisti. Quis porro sapere fatis ,  
 quis capere queat Epithalamium illud dulcissi-  
 mum , Cantica illa nuptialia , ignea illa tenerri-  
 mi mutique Amoris susurria , quibus Tu ho-  
 die **DEO** Tuo. Eucharistico , Sacerrimis Ma-  
 nibus Tuis ante nos elevato , Ille Tibi Sacerdo-  
 ti suo Magno , intra Animum tuum , teneritu-  
 dine Devotionis sibi ipsi indubiè tantùm non pe-  
 nitus ereptum , confabulatus est ? Soli Tibi , qui  
 expertus es , hæc secreta relinquere decet.

**N**Os interim , sancta semper fuisse Sacrificia Tua ,  
 novo argumento ab effectis concludimus : per  
 quæ videlicet tantis optimorum quorùmque Cha-  
 rismatum cælestium donis Te indies tam opulen-  
 tè beari cognovimus. Nolim hìc ire per singula  
 ne longus , & ne molestus sim. Cumulum tamen  
 Virtutum , ac Meritorum Tuorum Symbolo III.<sup>tio.</sup>  
 expressimus , denuo pingentes Jubileam , ac Quin-  
 quagenariam literam L. sed undique Gemmis , ve-  
 luti Stellis , nitentem , medium tenente , Solisque  
 in morem refulgente Adamante Eucharistico , cum  
 Epigraphe : **HINC TIBI DIVITIÆ.** (m) Non  
 de opibus hìc dicimus , quæ laqueum struunt , &  
 tentationem diaboli : sed de multò melioribus Di-  
 vitiis , quas omnino suadet Apostolus , obsecrans  
 nos , *Divites fieri in bonis operibus - - thesauriza-  
 re nobis fundamentum bonum in futurum , ut veram*  
*vitam*

(m) Vide in Tabula Symbolum III.

*vitam apprehendamus.* (n) Beatas has Opes quomodo Tu, Fortunatissime PRÆSUL, non plenissimo cumulo possideas, qui integro jam Jubileo quotidie in Ara sanctissimè immolâsti? Soli námque Divino assiduè conjunctus, quomodo non undique splenderes? Mari immenso omnis Bonitatis circumfusus, quomodo non totus Gratiæ fluentis immadesceres? DEO, qui Charitas est, semper proximus, quomodo non igneus totus, plenusque Amoris evaderes? Illi DEO jugiter adhærens, *in quo omnes Thesauri Sapientiæ & Scientiæ absconditi*, (o) *in cujus dextera Longitudo dierum, & in sinistra ejus Divitiæ, & Gloria* (p), quomodo in ullo Virtutis, veræque Felicitatis genere deficeres? Sanè hinc Tibi Divitiæ Tuæ. Adeo siquidem in Ara morum sanctitate ditari necesse est probum Sacerdotem: quàm intrepidè è converso pronunciant universi Vitæ spiritualis Magistri, atque Doctores, tantùm non penitus conclamatum esse de eo, qui ne Agni quidem Eucharistici pharmaco quotidiano à vitiis sanatur.

Non interim hodie Tuos in Thesauros involamus: quibus tamen ac quantis Tu Opibus ditescas, parvo, quod Æternæ Jubilei Tui memoriæ devotissimè hîc nuncupamus, Opusculo Symbolico Ascetico pleniùs edocemus. Hodiernis illud Solemniis Tuis undequaque aptissimum confidimus. Uti námque Secularibus olim Festis Hecatombe tribuebatur, sive Centum victimarum Sacrificium: ita Jubilæo Tuo Quinquagenario debebatur Quinquagena Symbolorum hîc contenta, quibûs præcipua Sacræ Regulæ Capita & Dogma-

d

ta

(n) I. Timoth. VI. v. 18. seq. (o) Ad Coloss. II. v. 3. (p) Proverb. III. v. 16.

ta illustrantur, subjunctis Exegetibus Asceticis. Semper quippe Viri Summi, clarissimis facinoribus incliti, Statuas & Imagines accepere, quarum ope Viva eorum Effigies & in Orbem, & in Secula, merita cum laude vulgaretur. Quæ porro alia *Effigies animi Tui Vera* magis & *Viva* edi à nobis potuerat, præter Regulam à D. Legislatore **BENEDICTO** conscriptam? Hac etenim ipse Pater Sanctus, communi elogio *Omniium Justorum Spiritu plenus*, omnis Perfectio- nis normam, formamque brevi compendio con- cludit. Tu verò, Reverendissime D. D. **PRÆ- SUL**, quemadmodum in sanctam hanc Regulam sanctè jurasti, utque ex Munere Tuo Abbatiali adstrictus es, non ore duntaxat eandem Tuis ex- ponere, verum etiam in factis Tuis quotidie le- gendam exhibere, ita pariter eadem nihil chari- us Tibi, nihil magis est cordi. Unde ut eam tam ipse observes, quam observari à Tuis sedulo facias, nervos certè, virésque Tuas omnes inten- dis. Omnes igitur in hoc Opusculo nostro Di- vitiae Tuæ explicantur. Quidquid enim in eo commendatum, Lucis candidæ habet rationem, idipsum est, quod in omni Vita Tua Regulari fo- lertissimè semper factitare studueras: quidquid ibi reprehensum, Umbram imitatur nigrantem, studio non impari declinare perpetuò contendi- sti. Quare hac *Luce & Umbra Animi Tui Vera ac Viva Effigies* citra dubium commodissimè ab- solvitur.

Testis, contrà quem excipere nihil penitus possis, Tu nobis ipsissimus es proprio solidissimæ Asceseos Opere: in quo *Scientiam Scientiarum Notitiam sui ipsius, per duodecim Humilitatis Gra- dus,*

*aus, in Regula Divi BENEDICTI explanatos, comparandam, Sex & triginta Sermonibus, in Capitulo ex more habitis, privatim antea nobis Campililiensibus Tuis, postea prelo publico Sacrae Cisterciensium Militiae in toto Vicariatu Austriaco, sapientissimo Consilio, scrutandam proposuisti. (q) Quo à Regulæ Spiritu pariter animatus est Microcosmus, i. e. Homo parvus Mundus, Vas admirabile ac insigne Divini Amoris, XXX. Considerationibus expensus, Opusculum, quàm parvum mole, tam sublimi omnigenæ Scientiæ, & Eruditionis varietate à Te perpolitum. (r) Neque adhuc fatiscunt, sive Spiritus, sive Calamus Tuus, legemúsque propediem, qualiter pro tam longæva Incolumitate Tua Jubilea Dulce Nomen Domini nostri JESU Christi, & Beatissimæ Matris ejus novo Amoris cantico propalam sis benedicturus. Nempe Sapiencia absconsa, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? (s) Egregium fanè Laudis Tuæ caput, quòd Divitias Tuas, Jubileis in Sacrificiis ab Agno Eucharistico gratis Tibi donatas, sinè invidia communices.*

**R**estat verò postremum adhuc Symbolum, Famæ Tuæ immortalis, & æviternæ Campililij Tui Memoræ sacrum. Antiquum quippe jam inter homines est, ut maximè notabilibus gestis, quæ suo quidem tempore accidunt, memoriam suam, veluti novo cuidam principio, affigant, ab iisque Æram & Epocham novam auspicientes, annos reliquos & subsequa tempora com-

d 2

pu.

(q) Prodiit hoc Opus in 4to Salisburgi Ann. MDCCXXXVI. (r) Excusum est Viennæ in 12mo. Anno MDCCXL. utrumque porro Sumtibus Monasterij nostri, ubi & haberi potest. (s) Eccli, XX. v. 32.

putent. Ita v. c. Obsidio & Eliberatio Viennæ prior à Turcis de Anno MDXXIX. item posterior de Anno MDCLXXXIII. millies apud Austriacos nostros in os, & calculum venit, ubi de ætate differitur. Pariformiter itaque & nos Symbolo nostro ultimo L. triplex expressimus, Monogrammaticis in morem sibi invicem innoxum, Quinquagenæ triplicis, qua nobis inclarescis, indicem Literam triformem. **PRÆSULUM** quippe nostrorum Tu **QUINQUAGESIMUS**, **PROFESSUS** es insuper, atque **SACERDOS JUBILATUS**. *Monogrammati* huic superstant *Infula* Tua Præfularis, & *Columbula* *Gentilitia*, hinc & inde excrefcentibus *Liliis*. Titulus est: **EPOCHA MEMORABILIS**. (t) In tanto nimirum Præfulum nostrorum numero *Jubileum* duntaxat unum *Professum*, Reverendiff. videlicet **D. MATHEUM** hoc nomine III.<sup>tium</sup>. nullum verò *Sacerdotem Jubileum* ulla Monumenta nostra Domestica commemorant. Quare Tu Unus in omnibus hac Gloria hucusque existis: ac proinde penitus *Novam* Campililio Tuo, & fanè *Memorabilem Epocham* condis.

Optâsemus equidem maximoperè, jam nunc in lucem efferre *Fastos* nostros *Campililienses*, tanquam hodierni Jubili Tui, ac nostri, amplius longè digniùsque Monumentum. Atque hi *Fasti* ut, quàm optimè fieri posset, aliquando conderentur, omnino inter primas, eásque laudabilissimas auspiciatiffimè suscepti Præfularis Regiminis Tui curas numerâsti. Idcirco succifivis omnibus horis Tuis Archivii nostri ordinem per Te ipsum operosè restituiſti: tribus grandibus  
Volu-

(t) Vide in Tabula Symbolum IV<sup>tum</sup>.

Voluminibus , Tua Manu conscriptis , commo-  
dissimum Historiæ nostræ Apparatum congeffisti :  
Indiculum Chronologicum memorabilium cujus-  
libet ferè anni factorum labore non minimo con-  
cinnâsti : Necrologium nostrum Vetus univer-  
sum eruditis Elucidationibus nova penitus in lu-  
ce posuisti : in Serenissimæ tandem Ducalis Fa-  
miliæ Babenbergicæ Fundatricis nostræ obscurif-  
simam in Austria Originem peculiari Opuscu-  
lo , adhuc MS.<sup>o</sup> , & studio , quo Tibi per Præ-  
fularia negotia maximo licuit , investigâsti . Sed  
quoniam hujusmodi Opus , & Argumentum sæ-  
pe sæpius magnopere intricatum , in hoc erudi-  
tissimo , penitusque Critico Seculo , cum quali-  
cunque dignitate tractandum aggredi nemo no-  
strûm sive debuit , sive potuit , priusquam debi-  
ta lectione , exercitato judicio , aliisque necessa-  
riis ad hujusmodi Scriptionem facultatibûs præ-  
viè sese , inter officia & exercitia cætera Regula-  
ria , comparâisset : dilata est hæc Spes Tua ad us-  
que proximè elapsûm triennium . Abinde fuda-  
tum est quidem , & ille , quem Operæ huic de-  
stinaveras , à Te his unis laboribus gratio-  
sissimè fuit permiffus . Verumtamen moles Ope-  
ris vastior , universi Archivi , veteri supellectile  
tam opulenti , Evolutio , Discretio , Recensio ,  
ritè præterea subducenda Chronologia , eruenda  
Veritas , condendæ , & fide congrua suffulcien-  
dæ tot Genealogiæ , tot Sigilla ex Originalibus  
Æris ordine concinno depingenda , nonnisi To-  
mum unum interea absolvendum permisêre . Hic  
porrò Diplomatico - Genealogicus totus , funda-  
menti magis habens rationem , quàm ut in capi-  
te poni potuerit , & apparere , absque Reliquo

corpore, ipsa Instituti ratione sic postulante, in publicum exire nullo Consilio debuerat. Quamquam Tu interim in hunc Tomum, Gratiofissimis Oculis Tuis à capite usque ad calcem perlectum, tot Sigillorum imaginibus undequaque exornandum, jam multas gravesque Sculpturæ expensas sanè munificè feceris, Utilitatis publicæ causâ, próque ingenti Animo Tuo, quo semper es in Patriam colendam, juvandam, ac illustrandam, honorandam præterea Nobilitatem, bonas Literas promovendas. Solum itaque universi Operis *Conspectum* in hoc Opusculo, Tibi hodie devotissimè inscripto, interserere interea licuit: usquedum propitio DEO extremam *Fastis* nostris manum imponi desuper nobis è Cælo tribuatur.

**Q**Uare, ut fatis esse interim gratiosissimè velis, Reverendissime D. D. **PRÆSUL**, hodiernæ Jubileæ Memoræ Tuæ picta à nobis, & quomodocunque exposita hæc paucula Symbola nostra, omni, qua possumus, animi demissione obsecramus. Cum his porrò immortales Omnipotenti DEO gratias devotissimè percensentes pro Gloria, pro Incolumitate, pro Longævitate Tua hac tanta, eam Tibi cum tenerrimo affectu Filialium cordium, & voluptate cum maxima ex animo gratulamur. Decuit profectò Jubileæ hæc Solemnia Tua, quæ unus è millibus agis, quidam pariter Jubilus noster: quo & DEUM in Te magnificaremus, voces nonnullas exultantium cordium nostrorum sisteremus interpretes, Tibique congaudentes, lætitiæ nostræ publicum quoddam in Orbem testimonium ederemus. Redundat horum Festorum Tuorum  
fru-



fructus propemodum in omnes : jure proinde optimo Hilaritatem publicam promeretur. Congaudet Ecclesia Jubilo Tuo , & ideò , ordinante illa , haud secus , atque pro Primitio Sacerdote , Paraclitus Spiritus Sanctus novo hodie Hymno pro Te in vota vocatus est : decreta Tibi , æquè , ut Sponso novo , Coronæ , fertique Nuptialis florida Pompa : fideles omnes ad novam Benedictionem Tuam , humillimùmque Manus Tuæ osculum convocati. Congaudet Patria , cujus Reverendissimi , Excellentissimi , Illustrissimi , Nobilissimi Proceres , ingénsque aliorum Spectabilium , & Venerabilium Hospitum cumulus , has Tuas ad Nuptias accurrerunt. Congaudent conjuges Jubilei , quorum plures , præter vestem , canámque Nuptialem Benedictione nova recreâsti. Congaudent Pauperes , qui , cùm Tibi sint semper dilecti , tuâque Stipe quotidiana , vel alio misericordiæ genere indies sublevantur , in hac die Exultationis Tuæ singularem in se Munificentiam Tuam ingenti numero experiuntur. Ne dicam , gestire & ipsam Ecclesiam nostram , uti antehac à Te marmore & Auro magnificè largitèrque exornatam , ità & modò splendidissima Nuptialis Ornatûs Tui Pontificalis Supellectile decoratam. Ita Tecum hodie Campililij jubilant omnia. Eant igitur & hæ tenues Chartulæ nostræ , hujus Jubili nunciæ , eant in præsentem , eant & venturum in orbem.

Portent porrò una secum hoc solum , quod superest , votum omnium nostrûm : ut nimirum , quantumvis Annum jam octavum supra Septuagesimum agas , nihilofecius tamen etiam centenarium superes , útque ætate Secularis , quem-

admodum Professione ac Sacerdotio Jubileus jam  
es, Abbatumque nostrorum in numero Quinqua-  
gesimus, ita etiam Praesulari Regimine Tuo Ter-  
tium expleas Jubileum. Dimidium certe hujus  
jam habes, & Anno jam Sexto supra Vicefimum  
nobis sapientissime praes. Addant Tibi Boni Su-  
peri, ut etiam Regiminis Diuturnitate, qualiter  
Jubileo Sacerdotali, alias laudatum Reverendissi-  
mum D. MATHEUM, quadraginta quinque An-  
norum Praesulem, transcendas. Tam certe opta-  
tum nobis foret, hoc voto beari, quam liberè hic  
palàm fatemur, bonum nobis haecenus semper  
fuisse, tanto jam tempore Te PATREM amantissi-  
mum habuisse. Lilia sumus: tamdiu sublimia,  
tamdiu florida nos fore confidimus, quamdiu Sti-  
pitem Tuo, Virtute Tua, Sapientia Tua, Dilectione  
Tua sustentabimur. Ergo benedicat Tibi Domi-  
nus ex alto, & Jubileae Solemnitatis Tuæ Gratiam,  
atque Lætitiâ omnem pleno in Te flumine effun-  
dat: quo pacto & nos Tuam, quam hodie Sacer-  
rimis Manibus Tuis nobis impertiisti, Benedic-  
tionem lucris ingentibus affluentem nobis, atque  
nunc, & in omne ævum salutarem experiamur.  
Subscribat Clementissimus DEUS postremo huic  
Chronometrico Voto nostro, quo omni nostræ  
Gratulationi, ac Jubilationi hodiernæ finem im-  
ponimus, ita concinentes:

IVBILA BINA VIRENS ECCE IMPLES AVREE  
PRÆSVL!  
FLORESCE, VT TRIA SINT IVBILA CLARA  
TIBI.

ALLO.

# ALLOCUTIO GRATULATORIA SACERDOTII JUBILEI,

Nomine Venerab. Conventus privatim facta.

## NOTULA PRÆVIA.

**E**Git Reverendiss. & Ampliss. D.D. PRÆSUL noster Primitia Sacra sua Anno MDCXCI. in Parochiali Ecclesiola nostra ad Portam ipso Festo Patrocini jbidem, i. e. Sanctæ Magdalenæ die 22. Julij: quaproinde in Solemnitate hoc pariter Anno Sacerdotale ejusdem Jubileum recurrit. Quoniam verò ex veteri religione ea die Divina in Pontificalibus in prædicta Ecclesiola fieri consueverunt, ingensque ibidem ad Indulgentias Plenarias fit Pœnitentium concursus: sapienter visum est Reverendiss. D.D. PRÆSULI, sui Jubilei Solemnia differre in diem alteram, sive Dominicam mox insequentem, & illa in Templo nostro Majori, ac Regulari digno Cum decore peragere, ne populi, die anteriori concurrentis devotio impediretur, cui Confessarios omnes jugi Confessionum exceptione inservire necesse foret. Venerabilis verò Conventus noster, facile præfagiens, inter ipsa Jubilei Solemnia diem, Divinis tantum, & Illustrissimorum DD. Hospitum Servitiis impendendam, ægerrimè horulam aliquam congruam suffecturam esse nostræ Gratulationi, eandem ipsa potius die Jubilea, quam in Translatione ejusdem, instituendam decrevit privato conventu: brevem tamen omnino fieri jussit, ne Religiosos diutius à Confessionali abesse oporteret. Et hæc causa est distinctæ hujus Allocutionis à Dedicatione priori.

**N**estori Tibi Præsulari, Reverendissime, Perillustris, ac Amplissime DD. ABBA Pater, & Vicarie Generalis Gratiostissime, Nestori, inquam, Tibi Præsulari, & verè Antiquo Dierum, quia Professo, & Sacerdoti Jubileo, devotissimè gratulaturus, Nova in Te suspicio omnia. Senem in Te video, & stupeo Juvenem, quam Capite canum, tam corpore sanum. Mirum maximum, si Tibi hoc ipsum natura viribus duntaxat suis, & alimentis præstaret. Sed Tu Tibi id præstas, & DEUS. Tu, qui cœlica sapientia omnem vitam Tuam ex lege Temperantiæ moderaris, ac, more Columbæ Tibi Gentilitiæ, pauca tantum & optima feligens grana, ita comedis, ut vivas, nequaquam Te vivere ostendis, ut comedas. Proficit ergo cibus tuus Integritati Tuæ, non officit. DEUS porro in Ara absconditus, ac decem jam lustris Panis Tuus quotidianus & supersubstantialis, quomodo non pascat corpus tuum ad vitam, uti Animam tuam nutrit ad Gratiam? Vinum ibi germinans Virgines, Fons tuus indeficiens, nonne sit Potus Salutis tuæ? Qui dum cor tuum quotidie lætificat, curam omnem & tristitiam, undecunque illa irruat, velociter abigit, quæ apud alios toties exedit cor, tamque multos ante tempus, etsi non canos, cum dolore ad inferos deducit. Qui efficit, ut Mens tua, criminis secura, sit veluti jube Convivium. Qui Te interni suavitate solatii ita demulcet, ut exinde sentire vix aliquid, pati quid noxium planè non possis. Beata Philosophia Tua: quam qui potest exemplo tuo capere, capiat.

Video insuper in Te Sponsum, minimè verò deliciantem in rosis juventutis, sed Corona Dignitatis fulgentem, quæ est Senectus in viis Justitiæ

stitiæ reperta. Video Sponsum, cui Rex ille Seculorum immortalis, & Gloriæ, non hodie primum, sed Jubileo jam Annorum curriculo fecit Nuptias Agni. Video Sponsum præferentem, ac deferentem ante nos novissimum sertum Exultationis: & contemplor in Te Salomonem in Diademate, quo coronavit Te Mater Tua Sacerrima Religio nostra, quinquaginta abhinc Annis Regali Te Sacerdotio supra Reges & Principes exaltans. Novum sanè in hoc Diademate, æquè in eo adhucdum virere omnia, uti in Primitio Te Sacerdote floruerant. Marcuit nihil, & nihil omnino effectum est. Esto Cypressus existas, in eam Jubileæ Ætatis altitudinem Te tollens, quam quidem demisso vertice venerantur multi, & obstupescunt, attingunt paucissimi: Oliva tamen es simul fructifera in Domo DEI, perpetuo virore Ryphea quoque in hyeme frondens. Flores cum Justis, ut Palma, sùntque omnes rami tui, longè latèque extensi, pleni fructibus Honoris, & Honestatis. Unde hoc Tibi? Sanè quia Arbor es, plantata fecus decursus Aquarum quotidianos, qui scaturiunt Tibi, & affluunt in Altari. Ideo das fructum tuum omni tempore tuo: ideo nullum apud Te folium defluit: ideo omnia, quæcunque facis, prosperantur. Quid igitur Sertum hodiernæ Exultationis Tuæ? Profectò Corona, qua præmiantur diuturna, quæ collegisti, Merita Tua: & cujus novissimo flore merita nova, quæ denuo colliges, jucundo tutoque Augurio præsignantur.

Video Te pariter tanquam Spectaculum novum, factum hodie DEO, Angelis, & Hominibus. DEO præprimis, qui Te ideo tanto tempore servat, quia Sacrificiis tuis satiari non potest. Quod si fecus esset, ànne ferret, integro semiseculo Te fungi Sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius, tanquam Sacerdotem Altissimi, & tanquam Pontificem, cui semper indulget, offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis? Dominus Zelotes nomen ejus. Uti Oblatio justi impinguat Altare, ita pariter teste Pagina Sacra, Dona impiorum non probat Altissimus. Oblationes Tuas Justis esse, probat Cor tuum, quod vel nobis omnibus testibus, quotidie tradis ad vigilandum diluculò ad Dominum, adque deprecandum nobiscum in conspectu Altissimi. DEO itaque novum hodie Spectaculum es, quod ideo ipse instruxit, ut ostenderet in Te Virtutem suam, ut raperet omnes in admirationem, ut ad se in Te magnificentum universos incitaret.

Sed & Angelis Spectaculum evadis. Hi námque Principes conjuncti pfallentibus, cum Te tanto tempore quotidie intuiti sint hilariter cantantem in Choro, reverenter celebrantem in Altari, Panémque tam suum, quam nostrum, irremissè frangentem: nunquid in hac Die Tua, quam fecit Dominus, in hoc Jubilo Sacerdotii Tui, multitudinem Militiæ cælestis adstitisse oblationi tuæ Sanctæ & mundæ securi credamus, ut eum novo delicio intuerentur Jubileis in Manibus tuis, in quem prospicere æternum desiderant? Eadem illis beatis Spiritibus Caritas, eadem Benignitas est, quæ ipsi est Majestati, cui assistunt. Cujus cum hodie melliflua Tibi dulcedo ex altis, dono tam singulari, veluti Electro ex millibus, superabundaverit: indubiè Angeli pacis velociter cucurrère ad Aram tuam, ad novum fortunæ Tuæ tam beatæ Spectaculum, laudantes in Te servulo Dominum, ipsi gloriam in excelsis, Tibi homini adeo bonæ voluntatis, & indubio filio pacis, Pacem beatam gratulantes. Neque diffiteri hoc velis, vel à me dici de Te erubescas. Si námque, verbo DEI sponse, etiam super peccatore pœnitentiam agente gaudium est Angelis DEI: quæ fuerit eorum exultatio, dum Te hodie, qui portasti  
Domi-

Domini jugum ab Adolescentia tua, ab hac via tua justa & sancta etiam in tanto Senio Tuo neutiquam recessisse, teste omni vita tua, conspexerunt, & ideo tantam in Te Benedictionem DEI, tanquam in mercedem Justi, festinasse viderunt?

Hominibus porro quàm rarum charùmque Spectaculum existas, tacentibus nobis, vel oculis omnium luculentissimè ingerunt ingenti numero, qualem vix unquam Campililium vidit, accurrentes Summi, & imi. Rectissimè equidem. Adeo enim hæc Jubilei tui Solemnia tui solius non sunt, ut potius ad omnes attingant, quotquot illa sua esse percipiunt. Omnium agitur causa, & salus, quoties novus ad Aram Sacerdos Primitius adstat: ex quo Mysta sacer unusquisque Mediator est noster communis ad DEUM, nostram Victimam immolat, Propitiationem nostram quærit, & impetrat. Anne verò minus Primitio Sacerdote Mysta Jubileus exequitur? minimè gentium. Primitius Sacerdos universæ Ecclesiæ spem præbet fructus eximij percipiendi: Jubileus porro infinita jam commoda quinquagenariis Sacris contulit in omnes, nullo gratitudinis genere pro dignitate compensanda. Si itaque ad Nuptias Eucharisticas Primitij Sacerdotis tam festivè accurritur, cui sola debetur Gratulatio auspicate Dignitatis, votùmque ejusdem benè beatèque gerendæ: quanto celebriùs accurrendum ad Nuptias Sacerdotis Jubilei, cujus Manus benedictæ non modò exosculandæ sunt reverentiæ causâ, verùm etiam mille titulis debitæ gratitudinis ergo pro tot Sacris jam actis, quibus Gloria DEO, vivis gratia, defunctis suffragium & requies, toties, atque reipsa accumulata fuere? Ne dicam, propemodum omnibus citiùs licere, mille Primitios in Ara Sacerdotes venerari, quàm vel unum Jubileum spectare.

Nullus adhæc Jubilus spectatu dignior, jucundior, atque utilior est præ Jubilò Sacerdotali. Non dignior, quia nulla in omni Mundo est Actio sanctior, quàm Sacrificium incruentum, tot Annorum decadibus frequentatum. Non jucundior, quia lucrum Solemnum istorum redit ad omnes ex oblata pro omnibus Hostia salutari, & omnibus impertita Jubilea Benedictione. Non demum utilior: siquidem Virtus & efficacia Sacrorum istorum penetrat nubes, operatur in terris, suoque modo pertingit ad inferos, Ecclesiæ tam Triumphanti, quàm Militanti, quàm que Purganti votis maximis expetenda. Honore sunt digni Conjuges Jubilei, quorum Tu Paria plura tuorum subditorum è numero nova Benedictione nuptiali solemniter impertita besti. Verumtamen horum jubilus à Tuo tantùm distat, quantum à Sacrificio Matrimonium. Esto deinde, Rex etiam foret, vel Cæsar, Jubileo regimine inclitus, cujusmodi Solemnia Seculo priori egisse Christianum IV. Daniæ Regem inaudito propemodum exemplo ferunt Historiæ: nec ipsa hæc tamen Augusta Solemnia paria forent Solemnibus Tuis, quoniam vel ipsos Reges ac Principes Purpuram suam quodammodo exuere, Sceptrum ponere, coronam submittere oportet Sacerdoti, ejusque Sacra facientis ad Aram adgeniculari.

Ecce! quàm novum, quàm grande in Te hodie Spectaculum intuear. Video autem in Te longè plura adhuc nova: quæ si effari vellem omnia, & tanquam minimè vulgaria, sed rara planè & insolita, dictione non vulgari celebrare, oporteret me sane, ipsi soli cum Josue, ut hodie staret, imperare. Communi itaque horum omnium devotissimorum Filiorum Tuorum, Paterno in Jubilò Tuo totis animis exultantium, Consilio, cætera omnia Decora Tua hunc in Libellum compendio quodam Symbolico congesti: quem Tibi unanimis hæc Filiorum Tuorum corona in æternam

nam Jubilei Tui memoriam devotissimo obsequio consecrat. In principio ejusdem , ne summæ Modestæ Tuæ exuberans verbis Rhetorica ruborem excutiat , hodierni Jubili Tui Encomiastem non alium substitui , nisi solam literam L. numeri Jubilei & quinquagesimi notam , Symbolici corporis in morem varia consideratione expensam. Medium tenet Annalium locò , quos perfici exilitas mea hucusque non tulit , eorundem saltem Conspectus : qui Erudito interim Orbi præfabitur , quantum , quamque laudabiliter cupias , charæ Patriæ , Augustissimorum Principum , universæque tam Summæ , quàm mediæ Nobilitatis Honori ac posthumæ Famæ fide certa Archivij tui consulere. Postremò tandem , quia Maximorum Virorum ea semper omni ævo , & omnes inter gentes Existimatio fuit , ut Imagines publicas , marmore vel metallo cœlatas acciperent , vitam hoc pacto etiam post fata consecuturi : pars ultima Libelli nostri Vivam Tui Effigiem sistet in Quinquagena Symbolica , Sacram supra Regulam nostram concepta. Delineatum nempe ad vivum Te sistimus , non ab Apelle , non à Praxitele , sed ab ipso SS. Legislatore nostro BENEDICTO : in hujus quippe Lege Regulæ est omnis Voluntas Tua.

Decuit profectò Jubilea hæc Solemnia Tua nonnullus saltem fidelium tuorum Jubilus , Orbi promendus , cujus voces & apices omnes totidem forent Interpretes jubilantium in Te cordium nostrorum : cum ipso DEO præcipiente , in Lege veteri , appropinquante Anno Quinquagesimo , clangendum fuerit buccina , Annique Jubilei Lætitia omnem in populum annuncianda. Beatum nos populum , qui scimus præsentem hodiernam Jubilationem Tuam Sacerdotalem : qualem nemo Majorum nostrorum in omnibus ante Te Præsulibus novit. Bella & mirabilis concordia , Te Abbatem nostrum Quinquagesimum , Professum simul ac Mystam Jubilatum existere. Quod quidem Trinum Tuum ut omni ex parte perfectum evadat , gratulantibus Tibi adepta jam Jubila , id unum superest votum , ut pariter in Præsulare Regimen Quinquagenarium expletum ea , qua modò es , Integritate à DEO servatus , Campililio nostro Exemplum evadas sine exemplo. Quò dum conspirant , sempérque conspirabunt Vota , preces , ac Sacrificia nostra , jam unum hoc superest , ut unanimes ante Te in genua procidentes , Jubileam nobis Benedictionem Tuam suppliciter exoremus , libatòque Sacerrimis Manibus Tuis devotissimo Osculo , fidem dictorum , velut impresso quodam Sigillo , in perpetuam tantæ Rei memoriam obfignemus.



# CONSPECTUS FASTORUM CAMPILILIENSIUM,

Tribus justis Tomis,

lisque singulis Bipartitis, & Fundamento Diploma-  
tico innixis

EDENDORUM,

*Scriptore*

P. CHRYSOSTOMO HANTHALER, Monacho & Sa-  
cerdote Campililiensi, ibidémque Bibliothecario, & p. t.  
Provinciæ Cisterciensis Austriacæ Secretario,

*Luci datus Anno M. DCC. XLI.*

---

---

## PRÆFATIO.



Leam quidem non semper tutissimam jaciunt, qui Operum suorum *Conspectum*, necdum peracto labore, præfidentiùs in publicum vulgant, estque rei hujus causa non una. Hic tamen id solum interim adduxisse sufficiat, quod proverbio dicimus: *Dies diem docet*. Quacunque sis meditatione, dum ad scribendum te comparas, & quantumcunque prævidè pervasissè te argumentum tuum existimes: dum tamen eidem postea tractando actu infudas, alia longè à primis, uti subeunt, ita sæpe pariter abripiunt mentem, novùmque in tramitem deducunt. Hinc methodus, ordo, ac ipsum subinde propositum, ab emissò intempestivè *Conspectu* haud parum abludentia, facilè apud minus benevolos efficiunt, ut hujusmodi Authori, quamvis cum ratione in diversa mutato, sive ingenij inconstantis, sive alterius vitij, nescio quæ dica, minùs quàm velit, benignè humanèque scribatur. Ne addam, solitam temporum, casuùmque vicissitudinem pulcherrima consilia persæpe omnem præter expectationem veluti momento disturbare. Quoniam tamen ij, qui, quantæ sit molis, Historiam eruditè, Criticàmque ad limam polire, Diplomata insuper & Genealogias justam ad fidem exigere, proprio non edocti experimento, penitus ferè ignorant, gnomone plerumque inverso labores ac tempora metiuntur, dùmque Annus alter ac tertius labitur, opus, quod vel decennio premi meruerat, necdum confectum insigni cum impatientia ferunt: necesse est sæpenumero Scriptori, scuti interim qualiscunque in vicem, eorum, in quibus hætenus elaboravit, & quæ deinceps medi-

tatur, breviculam faltem rationem obiter percenfere, & objecto hujusmodi dulciario famem aliorum intempeftivam interim utcunque delinire. Id cum & mihi, vel invito, omnino tamen, & quidem privatas ob rationes folitò etiam paulò uberius, factitandum effe exiftimaverim: *Confpe-  
ctui* præfenti *Faftorum noftrorum*, qui mihi demandati funt, hic in lucem dimittendo, fequentia paucula, fi non omnium, eorum faltem, quorum intereft, causâ, à me præfanda neceffarium duxi.

Ut grata fit Eruditis, hoc maximè delicatiffimo & perfpicaciffimo Seculo, quæcunque noviter fcribitur, Monafterij cujuslibet Hiftoria: Authori ejusdem præ omnibus connitendum, ut, quacunque demum parte Monumenta, quæ verfât ipfe, Domestica ad id valere poffunt, Hiftoriam infuper Publicam, atque Patriam, commodè, veraciter, solidèque illustrare, inque luce tam grata quàm tuta ponere velit, ac poffit. Præprimis Supellectilem, fi quam habuerit ad manus, Diplomaticam, folertiffima indagine excuffam, in iis, quæ eruditæ funt, difciplinis, puta, quæ Chronologiam, Geographiam, Genealogiam, Heraldicam, Jura communia ac Provincialia, Politicæ, Antiquitatem, Ortographiam, & fi quæ aliæ fint hujusmodi facultates, lumine critico illustrare valeant, diligentiffimè cum Orbe Literato communicet, inque ufum Eruditorum convertere, citra omne interim fuæ Domus detrimentum ac præjudicium, modis, quibuslibet poterit, omnibus allaboret.

Si namque Hiftoriam merè privatam edere velit, in qua Publici, orbisque Eruditi nihil intereft fapere, modò Initia ac Fundatores Monasterij, Cafus item, mutationes, ac fata præcipua, Seriem tandem ac Prærogativas Abbatum intelligat: præfaret, Libellum, immo pagellas conficere, quàm Tomos confarcinare. Neque foret è Doctis, qui ampliora refofceret, fi constaret, hujusmodi Domum monumentis solidis, inque publicam rem egregiè conferentibus, undique ferè deftitui. At verò ubi Archivium præftans, dives, ac opulentum domi effe dignofcitur, five præfumitur, grandioris Operis uti spes, ita & defiderium fubit Eruditos, tam digna faltem mole præftantis, ut Supellectilem tam utilem, tamque copiofam commodè deportare in publicum poffit. Hoc porro nifi fiat, promptum effe novimus non paucis, quamquam non femper pariformiter æquis, aut fuggillare Monasteriorum invidiam, qua nolint alios ditare, vel ignorantiam, qua divitias fuas ipfamet fortè ignorent.

Quoniam itaque peculiari DEI Clementia Campus nofter Liliorum, cujus initia quàm mox cum ineunte Seculo XIII.<sup>to</sup>, nimirum fub Annum MCCI. fieri cæperunt, per fefqui - fextum Seculum, demto unico decennio jam ferè evolutum, à fui graviori defolatione ac ruina femper protectus fuit, fed & ab igne perniciofius furente fervatus, ipfo etiam quodammodo Situ Loci Sylvas inter ac montes, potiffimùm olim, dum nulla adhuc Regia ad Monasterium via deduceret, Domum noftram ab hofte utcunque immunem præftante, licèt ille in reliqua Austria creberrimè fureret: Ac quoniam præterea Majores Patrèsque noftri Diplomatum & Sigillorum fervandorum curam atque induftriam minimè vulgarem, immo peculiarem planè, laudabiliter admodum, neque inutiliter impenderunt: Archivium noftrum ingenti fanè numero Chartarum veterum, & in membranis, & in Sigillis probè fatis adhuc confervatarum abundat.

Hæc itaque ipfa fanè felix Opulentia noftra, probè penfatis, quæ antea dixeram, coëgit me, ut in Faftis noftris nihil præcipiti Confilio agerem, fed è tanta Penu Diplomatica, cum cura evoluta, inque omnem  
par.



partem versata, universæ Scriptionis meæ fundamentum omni ex parte quàm solidissimè ponerem, idque cum sapientibus Architectis primis in curis haberem, antequam cæteram omnem Historiæ nostræ fabricam aggrederer: quantumlibet interim diei & lucis hæc fundamenta reposcerent.

Primus itaque mihi hætenus labor fuit & unus, sanè autem ferreus, circa Archivium nostrum ita excutiendum, digerendum, recensendum, ut nihil eorum, quæ conferre illud possit ad usum eruditum, me uspiam fugeret, non factum, non persona, non locus, non annus, omnia porro in Adversariis, ordine optimo digestis, ad nutum mihi semper & undique prompta atque expeditissima redderem. Sic effracto durissimo cortice, illico dulcissimum nucleum sensi, sua veluti sponte Tomo planè justo, eoque Diplomatico-Genealogico, mihi inter manus enato: quem Eruditis omnibus, in hac parte versatis, & quorum hoc Argumentum intererit, percommodo usui esse posse, multa mihi cum fiducia adpromitto. Reliquæ Historiæ materies pariter infimul jam præstò est.

Duo porro in omni hoc Opere unicè mihi curanda proposui. Primum, ut Iis omnibus, quorum Munifica Pietate surrexit, crevit, & in hanc usque diem feliciter floruit Campus Liliorum, quantuluscunque calamus meus omne officij genus, memor benefactorum, studiosissimè impenderet, Nomina eorum cum laude ex Antiquitate revindicans, inque Secula ventura transmittens. Unde & *Fasli* nostri, propitio DEO lucem aliquando visuri, illico in fronte hanc Epigraphen præferent: GRATA PRO GRATIIS MEMORIA. Alterum, ut Filum Historiæ Chronologicum, semel cæptum, nullo alio argumento interjecto, quod Lectorem distrahere posset, alicubi turbarem. Quapropter, quæcunque seriem Annorum ante tempus præverterent, peculiaribus & propriis locis commodiùs tractanda servavi.

Tomus itaque I.<sup>us</sup> *Parte* sui I.<sup>ma</sup> quasi Prodrroma, post Monasterij Descriptionem, iis in temporibus versabitur, quæ præcèssere Initia nostra, & Serenissimæ Ducalisque Domus Fundatricis BABENBERGICO-AUSTRIACÆ Historiam, & Genealogiam, nova luce à tenebris, in quibus adhuc, præcipuè quod verum ejusdem in Austria tum Adventus, tum Regiminis Exordium spectat, omnino delitescit, tutissimè vindicare studebit. *Parte* verò altera primorum duorum Monasterij nostri Seculorum Historia perpetuo Chronologiæ Ordine pertextetur. TOMUS II.<sup>us</sup> Gemina iterum *Parte*, atque tenore consimili, Sesqui-quatuor Residuorum Seculorum nostrorum Gesta in præsens usque tempus perducet. TOMUS III.<sup>tius</sup> æquè *Bipartitus* dabit Recensum Diplomatico-Genealogicum universi Archiviij nostri. Et hæc Generalis *Faslorum* nostrorum Partitio est. Nunc uniuscujusque *Tomi* contenta, ordinem, ac methodum peculiariùs nonnihil enarro.

## T O M I I.<sup>mi</sup>

### Conspectus peculiaris.

**I**N omni profectò linea Rerum, ordine decurrentium, summè ac præ omnibus necessarium est, ut principium ritè calleamus. Quo etenim pacto secundum vel tertium aliquid rectè dicemus primo ignorato? Interim nemo hætenus Eruditorum, quocunque polleret ingenio, quan-

tacunque foret lectio, quacunq̄ue industria desudasset, certa cum fide edicere poterat, quo demum Patre genitus foret LEOPOLDUS, cognomento *Illustris*, Marchionum omnium, Ducumq̄ue in Austria BABENBERGICORUM Auſtor & Parens? quo Anno Principatum inierit? quo à Cæsare eundem fuerit indeptus? *Inſenſarum quæſtionum, obſcuritatum, & difficultatum* hæc Problemata *Sylvam* meritò appellavit Vir Clariff. R. P. HIERONYMUS PEZIUS, Veteris Austriæ ante omnes Indagator studiosus & felix, *Tom. I. Scriptor. Austriacor.* initio *Differtat. V.<sup>ta</sup> Proœmialis*: hancq̄ue rem, ut ille pergit, *adeò perplexam fecit aut silentium Veterum & cœvorum, quos in manibus habemus, Scriptorum: aut ingens posteriorum Auditorum in consignanda hac Epocha varietas, pugna, & discrepantia.*

Insigni porro DEI beneficio olim Campililio nostro evênit, ut quidam primorum Gremialium nostrorum Initia Religionis hic loci, quibus ipsemet adfuerat, in Libello, quem *de Exordio Campilij* inscripserat, exponens *Notulas breves*, quod ait, sive Excerpta præmitteret ex prolixiori longè Libro Chronico Scriptoris sanè egregij & Reverendi, qui anno quarto post LEOPOLDI *Illustris* fata in Austria natus, sub HENRICO Filio adolevit, ADALBERTO autem Marchioni III.<sup>tio</sup> Babenbergico ab Aulæ suæ Sacris exstiterat. His etenim *Notulis*, quæ Auro contrà charæ iis omnibus esse debent, qui Austriæ Historiam amant, clarissimè, summæque cum circumspèctionis laude, & nativæ Veritatis patula simplicitate docetur, à quo Patre processerit LEOPOLDUS *Illustris*, quo sub Imperatore Marchiam Austriacam meruerit, & quo demum anno eandem adierit.

Neque verò minus clementer DEUS semper benignissimus his nostris temporibus, ac præsentis Fastorum nostrorum instituto sua gratia adfuit: dum Libellum hunc Autographum, forma 12. in Membranis descriptum, cujus Scriptores hætenus nec Orbi toti Literario, quod sciam, neque nobis quidem ipsis vel de nomine noti fuère, quamquam ab origine omnijure nostrum, tot nihilominus jam Seculis à nobis abalienatum, primùm abhinc biennio ex vicino quodam Antiquissimo Inclitòque Monasterio nobis restitui disposuit, tanta apud nos oblivione sepultum, ut ne scriptum quidem illum aliquando, nec nostrum fuisse, vel tenuissimo vestigio subodorari, minùs eundem à quoquam reposcere potuissemus. Solæ nonnullæ obscuræ & fluctuantes Traditiones de Rebus, inter nostra initia gestis, quæ apud nos incertissimo pede vagabantur, metum mihi fecère, ne Liber ab origine conscriptus, qui ista retulerit, apud nos quorumcunque incuriâ interierit. Et ecce! illum. O mirabilis DEI Providentia, quam sanè meritò universus orbis adorat. Quæ suis quæque sapientissimè necit ordinibus, & quia in sui dispositione non fallitur, omnibus Seculis Dona & Bona, quibuslibet temporibus maximè congrua, ab æterno præordinat.

Hoc itaque nobili cimelio, summa cum accuratione & fide in lucem protracto, sine quo & Serenissimæ ac Ducalis Fundatricis nostræ FAMILIÆ BABENBERGICÆ terfaustum in Austria Initium, & ipsum Campililij nostri Exordium maxima sui parte antiquis adhuc tenebris squalerent, præmissa solummodo Monasterij brevicula Descriptione, Tomus noster I. *Parte I.<sup>ma</sup>* illico velut in fronte clarebit. Cujus nobilissimi Anecdoti Opusculi, à Viro Clarissimo R. P. HIER. PEZIO summa cum voluptate evoluti, examinati, & ex parte in Mellicensibus rebus excerpti, prægustum tantò majorem ut capiat Lector Eruditus, ejusdem hic interim *Præfationem* integram cum Orbe Erudito, jure nostro, præviè primique communica-

mus:

mus: unde & utriusque Scriptoris conditio, Scriptique Argumentum li-  
quidò patebit: Ufus verò ejusdem & opportunitas maxima in Historia,  
cum Patria, tum nostrate, tutissima conjectura se pandet. Sic porro di-  
cta *Præfatio* habet.

**C**olligite fragmenta, ne pereant, dicit Dominus noster in  
Evangelio. Et sanctus Pater noster Benedictus, quem  
beatus Gregorius Papa vocavit omnium justorum spiritu plen-  
num, non vult, ut aliquis Monachus aliquid suum, & pro-  
prium habeat, vel dicat. Mandat autem, ut cunctam substan-  
tiam Monasterij tanquam sacrata Altaris Vasa conspiciat. Ego  
itaque ORTILO pauper & minimus monachus in hac Valle  
beatae Mariæ in Lilienveld, quæ nuper ad cultum Dei & Reli-  
gionis instituta est, de Domo sanctæ Crucis cum domino pa-  
tre meo Okero, Abbate primo hujus loci, & venerabilibus fra-  
tribus meis exivi. Volens obedire domino Salvatore meo Chri-  
sto, & legislatori meo Benedicto, quia Scriptor sum, habui ce-  
dulas plures parvulas de membranis remanentes. Hæc frag-  
menta ne pereant, pusillum libellum istum cæpi conscribere in  
remedium brevis & incertæ hominum vitæ, & labilis memo-  
riæ, *de Exordio hujus novæ Domus beatæ Mariæ*. Et ut san-  
cta ac maxima liberalitas devotissimi Principis & illustris Ducis  
Fundatoris nostri LIUPOLDI amplius honorificetur, propter  
suum ardentem amorem in Deum, & in gloriosam Matrem  
Virginem, omnemque Clerum, ac sacrum Ordinem nostrum,  
*dudum à me collectas Notulas* hic prepono *de illustribus & pri-  
mis Progenitoribus suis Babenbergicis, eorumque Aduentu in Au-  
stria, & gloriosis Meritis in hac Patria*. Nostro enim tempore  
jam plures errasse intelligo, & in futuro tempore plures errare  
timeo circa hæc verè & sincerè enarranda. Ego verò me erra-  
re potuisse non puto, quia *has Notulas* exscripsi ex Libro, qui  
vocatur *Chronica illustris Stirpis Babenbergicæ in Osterrichia do-  
minantis*. Quam conscripsit Vir sapiens & Reverendus ALOL-  
DUS *de Peklarn* Capellanus quondam ADALBERTI Mar-  
chionis Tertii Babenbergici Australis. Suum scribendi labo-  
rem cepit, sicut ipse dicit, centum annis post adventum LIU-  
POLDI Illustris in Osterriche. Historiam incipit à decollatione  
*Adalberti* nobilissimi Comitis *de Babenberg*, qui fuit Avus LIU-  
POLDI *Illustris*. Finit autem illam post initium Regiminis  
ERNUSTI Filij ADALBERTI Marchionis. Sine dubio hic  
Scriptor verus & fidelis est, qui ultima multis annis ipse vidit,  
priora verò à suo Principe didicit. Sed Deus novit, quare fa-  
ctum sit, ut hæc utilis Chronica, dum vix altera vice transcri-

pta esset, per incendium periret. Hoc mihi sinceri Viri con-  
 questi sunt: & dum ego nuper adhuc essem in sancta Cruce  
 tunc mea domo professionis, etiam exemplum ejus exustum  
 est. Nescio, ubi nunc invenitur. Doleo de Opere tam bono  
 & utili, quod utinam totum descripsissem. Gaudeo tamen de  
 his Notulis meis inde subtractis, & Deo gratias ago. Reliqua  
 de ERNUSTO & qui ei successerunt, multò brevius noto, se-  
 cundùm Annos tamen, partim quia jam notiora sunt, partim  
 quia tam fideli ductore privatus, & alterum non noscens, cui  
 pariter fidere possem, timui, ne errarem multa scribendo, &  
 essem etiam aliis causa errandi: donec veniam ad mea tempo-  
 ra, & LIUPOLDUM *sexum Virtuosum*. Post ejus acta noto  
 exordium hujus domus beatæ Mariæ in Lilienveld, testatus,  
 quæ vidi. Nullibi vero fluxa oratione utor, sed Notulas tan-  
 tum facio, quia nimis parvus est libellus, & meum ingenium  
 multò magis est parvum. Ohe fatis est ohe libelle.

Fide jam horum Scriptorum, quibus & Antiquitas, & Candor, &  
 prudens in omni argumento suo tum accuratio, tum circumspectio gra-  
 vem sanè Authoritatem apud æquos omnes expertosque rerum arbitros  
 citra dubium conciliare debent, universam Genealogiam atque Historiam  
 Serenissimæ Ducalis DOMUS BABENBERGICO-AUSTRIACÆ novam penitus,  
 & aliter condere aggredior, quàm hætenus legitur apud Illustrem D. JO-  
 AN. GEORGIUM ab ECCARD tum in Præfatione *Originum Saxonica-*  
*rum*, tum in celeberrima *Historia Franciæ Orientalis Tom. II. p. 813. seq.* item  
 apud sæpè laudatum Cl. PEZIUM, atque apud Doctiss. JOAN. GUI-  
 LELM. HOFFMANNUM in *Dissertatione Genealogico - Historica de Stem-*  
*mate Babenbergico - Austriaco* edita in 4. Francofurti ad Viadrum An. 1731.  
 Veteres alios Scriptores, quos possum, conciliabo cum nostris, cæteros  
 refellam. Et hæc quidem, quæ defactò jam propè confecta, adhuc ta-  
 men sub manibus habeo, *Partem I.ª* constituent.

*Parte altera* initium sument *Fasti* nostri Chronologici *Primorum duo-*  
*rum Seculorum nostrorum*, i. e. Seculi à Christo Nato XII. ac XIV.<sup>ti</sup> Hæc  
 porro Pars, *Decadibus* discreta, breviculo compendio in singulos annos  
 triplicem Historiam referet. Primùm quidem Generalem & Publicam Ec-  
 clesiæ, Imperij, ac Patriæ: deinde Specialem Sacri Ordinis nostri Cister-  
 censis: tandem & Peculiarem, sive nostram & Domesticam. Hoc mihi  
 scribendi institutum, hancque methodum persuasere ante omnia Charitas  
 ac Compassio erga pares mihi observantiæ Regularis vel nostræ, vel alienæ  
 Sodales: quibus in tot Monasteriis, cum ipsi præclaro ingenio sint, & per-  
 egregia discendi voluntate, Paupertas tamen Religiosa defectum inducit  
 bonorum Librorum, Historiam cum fide & cura tractantium, vel, tam-  
 etsi horum copia foret, Obedientia certè exercitiorum sacrorum assiduitate,  
 quæ remitti non possunt, otium legendi nimio opere constringit. De-  
 inde Grata pro Gratiis Memoria, quam omnibus de nobis benè meritis exi-  
 miè reddere præ omnibus constitutum habebam. Etenim Pontificibus  
 Summis, & omni Imperatoriæ Majestati ingentia beneficia referre nos de-  
 cuit in acceptis. Sacerrimo verò Ordini nostro nonne præ omnibus to-  
 tum,

tum, quod fumus, æterna gratitudine rependere obstringimur? Maxime autem Patriæ dulcissimæ, quæ nos adeo piè & liberaliter omni tempore fovit, Ornamentum omne, & Gloriam, quamcunque redhostiare licuerat, nos debuisse credidimus. Cujus nobilissimæ Provinciæ, & Serenissimorum atque Augustissimorum Principum suorum Gloria quia omnium Imperiorum Historiam ingreditur, quisquis Fastos Austriacos ritè condere cupit, non potest non quasi quosdam totius Orbis Annales conficere.

Tanti tamen argumenti amplitudinem ea lege constringam, ut non nisi, quæ ad filum sive Patriæ, sive Domesticæ Historiæ vel initio statim, vel postea lapsu temporum attinere ceperunt, scitûque ac notatu dignissima sunt, brevissimo compendio insinuem, potius, quàm enarrem. In quibus cura omnis mihi erit Chronologiæ quàm exactissimè adnotandæ, & ut facta singula, sive Diplomatum, sive proborum Scriptorum candidè allatorum fide & autoritate, annis debitis ritè assignare valeam, studio potissimo contendam. Quo verò feliciùs confusionem omnem & à calamo meo, & ab animo legentium tollere liceat, anni cujuslibet gesta parallelo per totum ordine triplici paragrapho secabo: quorum 1.<sup>mus</sup> ubique Res Ordinis nostri, 2.<sup>dus</sup> Res Monasterij, 3.<sup>tius</sup> tandem Res publicas complectetur. Fiet hoc pacto, maximo utique Lectorum commodo, ut quivis unamquamque Historiam, nisi conjunctam legere libeat, singillatim toto in opere pervolvere queat: modò qui v. c. solam Historiam Ordinis cupit, primum ubique paragraphum, qui verò Res Monasterij noscere avet, paragraphum 2.<sup>dum</sup>, qui sola Acta publica quærit, paragraphum 3.<sup>tium</sup>, ommissis cæteris, in omnibus paginis adeat. Cujus quidem methodi, quæ mihi opportunissima visa est, nullum adhuc exemplum alicubi offendi.

Cæterùm non deero partibus meis, Diplomata illa nostra, vel cujuscunque generis Chartas, quas Probationum vicem subire necessarium erit, sive loco proprio inserendi, sive etiam in calce Tomi per extensum, fidèque integerrima annectendi. Parcior tamen in his ero, neque sine manifesta aut necessitate, vel utilitate, per hæc, & hujusmodi, Volumina nostra onerabo.

## T O M I I. <sup>di.</sup>

### Conspectus peculiaris.

**H**ic Tomus pari ordine, ac methodo, qua prior, *Parte I<sup>ma</sup>*. continebit *Fastos* Seculorum nostrorum *Tertij* ac *Quarti*, Christi XV.<sup>ti</sup> & XVI.<sup>ti</sup>: *Pars* vero II.<sup>da</sup> *Fastos* Residuorum Seculorum usque in præsens. Seculis tamen ultimis Historiam tam Ordinis, quàm publicam, aliunde vel in vulgus notam, vel è converso maxima sui parte testam, relatu præterea delicatam, parciius, dictante prudentia, referam. Mantissæ locò hic Tomus annexam sibi habebit *Commentatiunculam* de Externa internaque hodierna Monasterij Facie, ac præcipuè de Bibliotheca, eoque attinentibus, uti MSS.<sup>tis</sup>, Editionibus Veteribus, Numophilacio, atque Scriptoribus Domesticis. De quibus verò omnibus stricta oratione, neque ambitiosius, atque rei dignitas exigit, differetur.

Quoniam autem Reverendissimum D. PRÆSULEM nostrum, jam semel, ac iterum, Professione videlicet ac Sacerdotio, *Jubileum*, rectè contingit

tingit etiam in numero Abbatum nostrorum *Quinquagesimum* esse, instrumentorum à me repertorum fide irrefragabili: obsecundare hìc libuit multorum desiderio dudum impatienti, tam hujus calculi Abbatialis certitudinem, quàm etiam qualemcunque Rerum præcipuarum Campililiensium interea, dum Opus perficiatur, Synopsin consequendi. Quorum proinde in gratiam, novam hìc *Seriem Abbatialem* Domesticam, quam fundamento Diplomatico redintegratam ipsis in *Fassis* tutè constabiliam, penitiùs interim subducta Chronologiâ, & adjectis breviculis Elogiis Historicis, adscribo: è qua præviè prægustare valeant Eruditi Amplitudinem ac dignitatem Argumenti, *Fassis* nostris præfixi.

## S E R I E S

### Chronologica DD. ABBATUM Campililiensium.

#### *Seculum Campililij I.<sup>num.</sup>*

- I. **O**KERUS Proto-Abbas noster à D. *Marquardo* Abbate S.<sup>æ</sup> Crucis, ubi professus erat, cum *Gebhardo* Priore, & tertio adhuc Sacerdote, novem præterea Monachis, tribùsque Conversis Ann. MCCVI. viij. Id. Septem. è S. Cruce cum benedictione dimissus, altera verò die, i. e. in pervigilio Nativitatis B. M. V. vesperi hìc Campililij à Serenissimo Principe Fundatore LEOPOLDO VII. Duce Austriæ & Stiriaë clementissimè exceptus, & introductus, ipso festo insequenti à D. *Popone* Episcopo Pataviensi Benedictionem Abbatialem suscepit. Obtinuit ab *Innocentio* Papa III. primam solemnem Institutionis ac Confirmationis Bullam Ann. MCCVIII. eodemque Anno Non. Novembr. piissimè, sed præmaturè obiit. Satis ei gloriæ fuit, Domus post eum tam diuturnæ fundamenta adeò solida posuisse: cujus etiam Ædificium materiale, interea dum strueretur, ab Anno MCCII. cum duobus sociis sollicitè direxerat, habitans in Arce retro Monasterium, ubi antea residebant Nobiles DD.<sup>ni</sup> *Lilienveldarij*, & quæ adhuc superest, pluribus postea Seculis Domus Abbatialis. Oratorium Monasterij per 30. propè Annos, usquequo perficeretur Ecclesia, fuit Capella, quam hodie dicimus B. Virginis Annunciataë, sive S. Sebastiani. Capitulum jam steterat, in quo D. *Okerus* sepultus fuit.
- II. GEBHARDUS ex Primo Priore alter Abbas, Anno MCCIX. à Serenissimo Duce Fundatore geminas Foundationis Literas accepit: item ab eodem Ann. MCCXIX. maximè insigne & inæstimabile Donum grandis Particulæ Sanctæ ac Salvificæ Crucis Dominicæ: quo etiamnum Thesauro in Domino jucundamur. Obtentis pluribus Bullis Papalibus, ac Privilegiis Cæsareis, Principibus Viris summè Charus, Religiosis amantissimus Pater, Pauperum Amator tenerrimus, bonum certamen suum beatè consummavit III. Idus Decembr. Anno MCCXXVII. Sub eo perfectum est Perystilium, sive Ambitus juxta Ecclesiam: hæc vero usque sub tectum ascendit.
- III. OTTO I. sub quo perfecta est Templi nostri fabrica ingens secti lapidis, magnifica, & sumtuosa, etiamnum firmissimè persans, atque ipsa Ecclesia solemniter dedicata fuit à D. *Eberhardo* Archi-Episcopo Salisburgensi die 30. Novembr. in festo S. Andreaë Apostoli in honorem

rem B. M. V. Assumptæ Ann. MCCXXX. in simul verò, iustuoso Solemnum tam disparium concursu, eadem die deposita fuere apud nos piissima Ossa Serenissimi Principis Fundatoris. Hic sub ipsa Pacificatione *Gregorij* Papæ IX. & *Friderici* II. Imperatoris, impensissimo studio à se procurata, Religiosissimè obiit apud S. Germanum in Apulia V. Calend. Aug. Visceribus & Carnibus in Monte Cassino humatis, Ossibus verò in Austriam, & ad nos usque reuectis. Utrisque Solemniis in cætera Principum turba aderat FRIDERICUS, cognomento *Bellicosus*, Filius Fundatoris, novus Dux, qui Paternam Foundationem amplo Diplomate confirmavit, & auxit. D. *Oito* Abbas cum laude obiit die 20. Jul. An. MCCXXXIII.

IV. BERCHTOLDUS, qui defuncto FRIDERICO Duce, Serenissimæ *Babenbergicæ* Stirpis Ultimo, quod sub ipsum cum Ungaris prelium accidit An. MCCXLVI. & fluctuante ex hinc variis sub procis Austria, dura tempora vixit, constanti tamen animo aduersa & meticolosa omnia fortiter superavit. Videre quoque debuit alia duo Serenissima Funera, videlicet D. THEODORÆ Ducissæ Fundatricis, octiduo post Filium demortuæ, & MARGARETÆ Filie Fundatoris, Romanorum ac Bohemorum Reginæ, An. MCCLXVII. defunctæ: quam postremam hic apud nos tristis ad Sepulchrum conduxit. Sub eo pariter DD.<sup>ni</sup> de Töpel cæperunt foundationem Capellæ S. Mauritij, hodie S. Iosephi, An. MCCXXXVIII. Item DD.<sup>ni</sup> de Neytberg foundationem Capellæ S. Wolfgangi in Capitulo Ann. MCCLI. Ipse tandem Præsul à DEO ad mercedem laborum vocatus est, Regimine in annos octo supra triginta extracto, die 19. Maij An. MCCLXXI.

V. HERVICUS pari, ut Antecessor, armorum pro Austria concrepantium sonitu in solitudinem actus, non impari animi magnitudine valet, Regis *Otocari* gratia jugiter suffultus. Obit quinto Regiminis anno ætate gravior die 29. Novembr. An. MCCLXXV.

VI. PAULUS I. prudentiâ è cælis flagitatâ inter potentissimos Principes, RUDOLPHUM I. Habsburgicum Imperatorem, & *Otocarum* Bohemiæ Regem, decretoriè pro Austria decertantes, ita se medium gessit, ut neutrum offenderet: Cæsarem tamen, à quo Victoriâ staturam sapienter præfagiit, devotius quoque coluit, insigni, quod postea patuit, Monasterij emolumento. Ultima subiit die 9. Jul. An. MCCLXXVII.

VII. CHUNRADUS. I. *Rudolphum*. I. Imperatorem, devicto, cæsòque *Otocaro*, universæ Austriæ Victorem ac Dominum, primus humillimè salutans, ab eo clementissimam amplissimamque Panchartam, sive Confirmationem omnium Privilegiorum, Jurium, Possessionumque Monasterij obtinuit. Cessit verò regimini Abbatiali, pro vidè ac laudabiliter gesto An. MCCLXXXI. & biennio postea in charta *Weichardi* Abbatis nostri subscriptus legitur cum elogio *quondam* Abbas.

VIII. GEORGIUS I. brevissimi Regiminis Præsul, unico tantum Instrumento, & Sigillo, nomen ejus disertè referente, nobis innouit An. MCCLXXXI. hoc ipso anno defunctus.

IX. LUDOVICUS non diuturnior, & planè nullo in catalago nostro Abbatiali anteriore descriptus, comparuit in Instrumento venditionis, quod veluti feudi Dominus obsignavit die 25. Januar.

- An. MCCLXXXII. Cessit verò Regimini , & anno sequenti chartæ *Weichardi* Abbatis testatus, scribitur *quondam Abbas*.
- X. WEICHARDUS Hospitalitatis in pauperes liberaliter impensæ gratiâ publico chartarum elogio plurimum commendatus, misericordem animam piè egit Anno MCCLXXXV. mente ac die non comperto.
- XI. CHUNRADUS II. paris laudis felix æmulator , ita , ut ipsemet indigere inciperet , ab *Alberto* , Primo Austriæ Duce Habspurgico , postea Cæsare , amplissimam Privilegiorum pro Monasterio Confirmationem , & ab *Henrico* Bavarix Duce immunitatem salium Salsburgenfium consecutus , vitam cum morte commutavit die 10. Aug. An. MCCXCIII.
- XII. ALBERO cognomine *Paterfamilias* , optimo illud omine explevit , multis , quas recepit , Donationibus , & multis , quos celebravit , utilibus Contractibus ex Archivio notus. Meritis ejus permoti sedecim Episcopi , à Literarum scientia , & sacris eruditionibus , melifluisque doctrinis eum insigniter commendantes , omnibus ejus Missam , vel Sermonem audituris , aut peccata sua ei confitentibus , singuli Indulgentias concesserunt. Cœpit sub eo Sacellum S. Cæsarii , fundatrice *D. Margareta* Comitissa de *Pfanberg*. Fata suprema subivit An. MCCCII. mense ac die calamo Majorum adhærentibus , primùmque Campilij Seculum cum gloria finivit.

*Seculum II.* <sup>dum.</sup>

- XIII. PAULUS II. Cùm ne ullum quidem instrumentum suffragetur *Thomæ* , quem veteres Catalogi nostri *Alberoni* Successorem dedere , immo compluribus annis , qui eidem tribuebantur , perspicuo chartarum testimonio præfuerit *Albero* : dimisso *Thoma* , proximum agnoscimus *Paulum II.* <sup>dum.</sup> Hic quia eximiè & prosperè egit in multis , usus plerumque potestate ac gratia *FridERICI* Pulchri Romanorum Regis : testantur de eo Monumenta nostra , eum , maximo sui desiderio relicto , abiisse ad Patres An. MCCCXVI.
- XIV. OTOCARUS in favore mox laudati Regis pari loco succedens , prosperitate non impari gavisus est. Primus erexit Sacellum in monte Tannberg , D. Annæ sacratum , quod postea futurum erat Ecclesia plurimis gratiis supernis inclita. Bulla quædam *Joannis* Papæ *XXII.* <sup>di.</sup> de Anno MCCCXXX. disertè memorat , sub eo centum & plures Campilij Monachos in sancta regulari observantia perstitisse. Anno MCCCXXXIII. ad latus Aræ Summæ tumulavit huc advectum funus illustre *D. Albaidis* Comitissæ de *Hayerloh* , nuptæ *D. Conradi* Comitis de *Schaunberg*. Ipse verò quiescens tandem à laboribus , integro vicennio utilissimè actis , æternam ad requiem avolavit die 5. Nouembr. An. MCCCXXXVI.
- XV. LEOPOLDUS æquè vigilans ac sollicitus , prolixum filiorum numerum paternè curans , nequaquam imminuit. Insignem Benefactorem habuit *D. Chunradum* IV. Episcopum Frisingensem : cujus etiam venerandas exuvias sub Annum MCCCXL. in Ecclesia nostra ante Aram summam deposuit. Ipse porro suos beata morte reliquit An. MCCCXLII.



- XVI. OTTO II.** non paucis proficuis Contractibus celebris , exacto , vel fortè non expleto triennali regimine, iter iniit æternitatis die 21. Jul. An. MCCCXLV.
- XVII. ULRICUS** Candelabro Præfulari, sic exigente cùm virtutis, tum scientiæ merito , invitatus tamen impositus videtur , & mox sub initium dignitatis de missione impetranda cogitâsse. Egit, quamdiu præfuerat, utiliter, humilitérque. At verò sub Annum MCCCCLI. Cessionem impetrans , cum gaudio redivit ad Opus, Abbatialium curarum causa intermissum, Volumen videlicet ingens, quod integrum membranis constat, una perpetuò facie folij sua manu depicta, altera scripta, cui nomen indidit *Concordantiæ charitatis*. Continetur in eo Postilla integra in omnia totius anni Dominicarum, Festorum, Communiúmque Evangelia, cum multis aliis conceptibus Moralibus, doctrinam ac pietatem redolentibus: quo Cimelio adhuc deliciamur. Annus, quo obiit vir pius, intercidit.
- XVIII. GERLACUS** testibus instrumentis multa cum commodo Monasterij egit, intérque alios Benefactores numerabat D. *Cholomannum* Episcopum Jaurinensem. Ultima sua subivit die postrema Maij An. MCCCCLVIII. Hoc sub Abbate quadriennio antè defunctus est Magister *Joannes Corona Clericorum*, vernaculè *Pfaffencron*, *Sacræ Theologiæ Professor Eximius*, ut habet Lapis ejus, vel stilo Necrologij nostri *Sacerdos & Monachus hujus Domus, gratiosus Doctor & Professor S. Theologiæ*: qui verosimiliter jam sub Anterioribus Abbatibus floruit. Credendus est Doctor Italus, vel Gallus: cùm ea ætate nulla Germaniæ Universitas Studio Theologico claruerit. Gloriosus hic Civis nunquam hætenus Campililij agnitus fuerat, sed cum altero gemino Magistro *Joanne* confusus.
- XIX. CHRISTANNUS** benè antea, immo optimè de Fratribus suis meritus est, si cætera abessent, vel solo hoc nomine, quòd variis literis non obiter tinctus, cùm propriæ manus indefessâ industriâ, tum aliorum exstimulata, vel conductâ etiam operâ, tria justa Volumina optimorum Collectaneorum communi Fratrum utilitati apparaverit, quædam sui quoque ingenij monumenta plerúmque Metrico-Ascetica alienis interferens: quos Codices membraneos adhuc tenemus. Præfecturam ejus non minùs utilem, quàm studia, futuram, mors celerior cum tertio jam anno abruptit die 15. Junij An. MCCCCLX.
- XX. STEPHANUS I.** robusta adhuc ætate onus Præfulis cum honore suscipiens, annis octo & triginta eidem eximiè ferendo par fuit. Ingens adhuc superest numerus Instrumentorum, Acta ejus pròvida & percommoda laudantium. Quæ dum necdum inquisita, incognita olim in Archivio laterent, veteres Catalogi multos huic Præfuli annos abstulerunt, nullóque subnixi fundamento solido, eidem subjunxerunt *Stephanum* alterum, contra Chartarum & Necrologij fidem. Sub eo *Pileus* Cardinalis Legatus ob nimiam intensissimi frigoris asperitatem, cibos præ manibus congelantem, indulsit nobis facultatem, construendi Refectorium hyemale cum fornace. Obiit verò Præful diuturnus meritis dives die 9. Januarij. Anno MCCCCXVIII.

*Seculum III.*<sup>tium.</sup>

- XXI.** **C**ONRADUS III. quemadmodum Noëmum quemdam nobis exhibuit, Abbatiale regimen Seculo adhuc priori auspiciatus, præsentem verò profecutus: ita etiam cum Noemo, si non diluvij, certè non minimæ calamitatis fluctus, bis expilato Monasterio, sub intestinis Austriæ turbis propter contentiones Fratrum Ducum super Tutela *Alberti V.* Cognati sui, multa cum acerbitate sustinuit. Nihilominus hac laude claret in monumentis nostris, quòd ipse Doctus, Doctorum hominum amantissimus fuerit. Testem habuit *Joannem de Lanckhem* Professum nostrum, quem SS. Theologiæ Laurea Academica insigniri jussum, ad Universitatis Viennensis Cathedram Theologicam promovit, Filium emittens, quem revertentem Campus Liliorum postea Patrem recepturus esset. Nihil aliàs solliciti studii omisit *Conradus*, quo in tanto fortunæ Campililiensis discrimine Domui huic prodesset, usquedum duodennali regimine exacto, finem curarum pariter vivendique faceret Anno MCCCCX.
- XXII.** **J**OANNES *de Langheim*, statim laudatus Theologiæ Professor Viennensis, virtute magis, quàm scientia uti debuit in Præfulatu. Tanta siquidem sub eo erat ex causis mox adductis inopia, ubi tamen, se teste in supplice ad *Albertum V.* Ducem libello, Familiam 90. Caputum quotidie alere debebat, ut argenteam Ecclesiæ suppellectilem, immo & Pedum quoque Pastorale divendere cogeretur. Tanta temporum acerbitas effecit sanè, ut dies regiminis sui parvi essent ac mali, nisi virtus animum sibi erexisset, brevè que post Præfecturam, fortè non plenè biennalem, tantò gloriosius ad præmium evocasset die 18. Aug. Anno MCCCCXII.
- XXIII.** **G**EORGIUS II. quamquam in calamitosa tempora succederet, diuturnitate tamen regiminis nonnihil respirasse videtur. Principibus etenim Terræ in deliciis fuit, qui ejus opera in spiritualibus potissimum usi sunt. Universitati Viennensi è gremio suo alterum direxit Professore P. *Joannem Pinzinger*. Privilegia Domus ut renovarentur, confirmarentur, & auferrentur, sedulò contendit. Moriens porro, ut habent Monumenta, longum post se sui desiderium reliquit die 10. Nouembr. Ann. MCCCCXXVI.
- XXIV.** **N**ICOLAUS brevi unius ac dimidii Anni regimine haud multam consecutus est copiam multa agendi. Neque tamen sine negotiis erat, teste Archivio. Decessit die 19. Jul. Anno MCCCCXXVIII.
- XXV.** **S**TEPHANUS II. quindecennali Gubernio multa utilia & insignia gessit: in quibus præcipuè æterna memoria dignum, quòd Serenissimam D. *CIMBURGIM*, Conjugem *ERNESTI*, cognomento *Ferrei*, Archiducis, Matrem *FRIDERICI* postea Imperatoris hoc nomine IV.<sup>ti.</sup> sub itinere Sacro Cellensi Dirnizii defunctam, in Ecclesia nostra lugubrem ad tumulum conduxerit Anno MCCCCXXIX. Præcipitata jam ætate diuturniori regimini ultrò cessit Anno MCCCCXLIII. De obitu ejus non satis constat.
- XXVI.** **P**ETRUS I. Præsul eximius Annorum undetriginta, tam multa tulit, fecitque, ut immortalem apud nos sui memoriam reliquerit.

rit. Privatus adhuc , ut bonarum Litterarum initia multis promtiora redderet , *Vocabularium* conscripsit. Jussu deinde Antecessoris non uno Volumine, sua manu descripto, in Alfabeticum Ordinem coëgit Extractus omnium Privilegiorum ac Jurium nostrorum, Immunitatùmque ac Libertatum Monasterij. Abbas factus, vastum membraneum Codicem conscribi curavit, qui omnia Diplomata ac Privilegia nostra per extensum contineret. Bella interim Austriæ rursùm intestina inter *Fridericum IV.* Cæsarem, & *Albertum VI.*<sup>tum.</sup> Fratrem Archiducem, atque Status Ungaros, Bohemos, Austriacosque, ob *Ladislauum* juvenem Regem, tutelâ Cæsaris detentum, inquietos, res Campililij denuo tam arctas fecêre, ut cogeret *Petrus*, numerum Monachorum ex Octogenario ad Tricenarium reducere : quamquam illum, ut primùm licuit, indies rursùm adauxerit. In fartis tectis plurimùm præstitit, collapsa restaurans, nova multa excitans à fundamentis : è quibus præcipuè in perystilio juxta Ecclesiam grata adhuc memoriâ salit Fons ingens, ac plumbeus tribus cum conchis, ac plurimis fistulis, quibus aquam limpidissimam profundit, imposita turracula Gothici & operosissimi moris. Infulæ insuper honorem Campililio primus invexit Anno MCCCXLIX. Sacellum Montis S. Annæ, acrefcente devotione, in mediocris Templi formam erexit. *Fridericum* Dominum in *Hohenberg*, cujus Stemma è Veteribus Stiriaë Marchionibus descendit, in tumba elata adhuc exstante, sub marmorea tabula, integram ejus effigiem egregio artificio referente, sepelivit in Ambitu ponè Ecclesiam Anno MCCCCLIX. Summis præterea ac infimis charus, omniùmque favore perpetuò gavisus, Authoritate multò maxima pollebat. Saluberrimarum porro curarum mercedem pia morte recepit die 21. Febr. Anno MCCCCLXXII.

**XXVII.** JACOBUS licèt non omnino biennalis Abbas, proximè tamen Decessorem suum gestorum memoria æmulabatur. Quotum præcipuum, largiente Sixto IV. Pontifice, interventu *Friderici IV.* Cæsaris, Campililium à Filiatione S. Crucis in perpetuum fuisse exemptum, & Runæ deinceps subjectum Anno MCCCCLXXIII. Cùm præterea non longè antea Typi beneficium ad incrementum bonarum Literarum à DEO fuisset Orbi indultum, Abbas noster non defuit in comparandis egregiis Voluminibus impressis : quorum aliqua apud nos adhuc supersunt. Sed mors festinavit eum educere de hac terra laboris, qua occupatus est die 25. Januar. Anno MCCCCLXXIV.

**XXVIII.** PAULUS III. Quia post D. Petrum Abbatem non tam diligens Campililij cura erat, Instrumenta transcribendi, unaque Collectio-  
ne complectendi, & sinistri posteriores casus compellebant, ut Archivii thesaurus fuga præcipiti subduci debuerit, videntur plura Documenta planè deperdita. Unde insequentium DD. Abbatum Æræ non semper nobis tutæ sunt, & exploratæ. D. *Paulus* Ecclesiam S. Mariæ Magdalenaë in Porta præcipuè promotam cupiebat, in qua tunc SS. Trinitatis, & S. Pancratii Martyris Confraternitates viguisse leguntur. Uti & sub eo prima memoria occurrit Sodalitatis B. M. V. Assumptæ Wilhelmspurgi. Potissimam hujus Præsulis laudem adhuc eloquuntur plusquam 50. Volumina Veterum Editionum, sanè prohi comatis, nec parvæ molis, ab ipso, uti testantur

rubricæ inscriptæ , magno pretio comparata : quæ adhuc in Bibliotheca supersunt. Viam universæ carnis ingressus scribitur die 27. Mart. Anno MCCCCLXXXV.

XXIX. GEORGIUS III. commissam sibi ab *Innocentio* Papa VIII. habuit Inquisitionem , ac Decisionem certæ , nec levis causæ Anno MCCCCXC. Anno Sequenti à *Rudolpho* Comite de Werdenberg Fratrum Ordinis Militiæ Hierosolymitanæ Commendatore , & Negotij Indulgentiarum , pro defensione Fidei & Insulæ Rhodi à Sixto IV. Papa concessarum , speciali sub delegato , peculiaribus indultis remuneratus fuit , quia sanctæ illi Expeditioni se gratiosum reddidit , ac liberalem. Hic idem Annus MCCCCXCI. Vitæ etiam suæ postremus erat , ut mox in Successore patebit , quamquam Catalogi veteres ejus obitum quadriennio distulerint.

XXX. SIGISMUNDUS I. hoc testimonium recipit ex Opere Historiali Tripartito S. Antonini Archiepiscopi Florentini Editionis Coburgerianæ pernitidæ de Anno 1483. tribus Voluminibus grandibus adhuc exstante in Bibliotheca nostra ad calcem Tomi III. <sup>iii.</sup> *Emitus est hic Liber per Dominum SIGISMUNDUM Abbatem in Campoliliorum , Cenobij Runensis Alumnum professumque. Anno Domini 1491.* Cujus Rubricæ fide tria discere licet. Primum , hunc Præsulem non fuisse è gremio nostro , sed Runensi. Deinde *Georgio* III. Successorem jam datum esse Anno 1491. Postremò bonarum Literarum amantem , coëmendis bonis Voluminibus parem , ut Antecessores , operam dedisse. Ecclesiam novis Altaribus à se ornatam statim ex dicendis apparebit. Obiit Anno MCCCCXCVII.

XXXI. THOMAS neo-electus Benedictionem accepit à D. *Bernardo* Episcopo Libanensi , testibus Episcopalibus Literis de Anno MCCCCXCVII. Quibus ulterius fatebatur , se reconciliasse pleraque Loca regularia , atque aliquot Altaria noviter exstructa , decenterque ornata consecrâsse. Hæc Altarium exstructio cum à neo-electo tam citò fieri haud potuerit , omnino ad Prædecessoris laudes attinere videtur : quamvis diffiteri nolimus , *Thomam* fortè necdum integrè perfectis colophonem , ornatumque addidisse. De cæteris ejus Actis instrumenta paucissima supersunt. Scribitur in Catalogis obiisse die 12. Sept. Anno MCCCCXCIX.

XXXII. GREGORIUS nonnisi è tribus Chartis innotescit , defunctusque scribitur die 20. Augusti Anno MDII. tertium Campililij Seculum ritè concludens.

### *Sæculum IV. tum.*

XXXIII. OSWALDUS jam Senior Gremij Domestici , curis tamen Abbatialibus invitè oneratus , præter alia gesta Capellam in Weinzierl secto lapide formaque splendidiori instauratam dedicari curavit An. MDX. Præfulatu porro suo jam ferè in decennium extracto , sive Senio urgente , sive quodd malorum futurorum præfagus esset , ut regimine se abdicare sibi liceret , impetravit Anno MDXI.

XXXIV. WOLFGANGUS Magni erat animi magnæque Virtutis Vir , quem DEUS magnis calamitatibus per annos octo & viginti opposuit. Ex quo enim scissa est in Germania religio , felicitas pariter atque

atque tranquillitas undique pessumdatae sunt. Insurrexerunt in Dominos subditi, ipsi Domini sub religionis larva in Principes, rusticique ingenio ac impetu sibi proprio furebant. Meta insolentiae praecipua fuere Clerus ac Monasteria. In his turbinibus Germaniae, quibus & Austria involuta, neque Campililio parsum est. Bonum factum, quod Abbas *Wolfgangus* Divae Annæ honorem in Monte suo antea eximie promoverit: cujus postea patrocinio obarmatus in procellas, invidio animo tempestatem sustinuit, ipso Monte sacro sibi perfugo, atque à Monasterio exuli, quaecunque refugium praestante. Quantâ verò parsimoniâ, summam saepe inopiam inferente, sibi opus erat, omnibus aditibus ad subministrandam annonam interclusis? Maximè cum etiam, Solimanno An. 1529. Vienneam immaniter obsidente, barbari ad usque Monasterium nostrum excurrentes, cum expilatione Domûs, tecta insuper succenderent. Tanta sustinuit Magnus hic Praesul noster: inter ea verò quantum DEO confusus est, tantum Patriæ ac Principi fidus perstiterat: Annis quippe periculosissimis 1525. & 1526. inter cæteros Inclitorum Statuum Deputatos solus unusque è Praesulum Statu Lincium se ad *Ferdinandum* I. tunc Archiducem contulit, iussu ejus ac Postulata auditurus, & statibus relaturus. Coronam laborum à DEO accepit, sine beato concludens die 22. Febr. Anno MDXXXIX. solus nostrorum DD. Abbatum in Capitulo tumbam nactus elatam, & opinione singularis virtutis hodiedum apud nos venerabilis.

**XXXV. LAURENTIUS I.** è solis missilibus literis ad eum datis restitui potuit: dum interim veteres Catalogi nostri eum, cum proximo Successore, penitus ignorantes, plurimos nostrum induxissent, ut ob turbas Religionis triste potius Campililij interregnum praesumerent. Jam porro constat, eum Anno MDXXXIX. & biennio postea praefuisse, sanè verò pariter in Camino tribulationis probatum.

**XXXVI. SIMON I.** quem pariter una solummodo Epistola missilis Praesulem nobis probat Anno MDXLII. initio anni, ac proinde parte etiam aliqua Anni prioris. Successorum verò suorum aliquis notavit, eum quatuor duntaxat & viginti hebdomadarum Praefecturam Abbatialem gessisse.

**XXXVII. SEBASTIANUS** *Rotaler* subrogatus Anno MDXLII. non tam culpa sua, quam illorum, à quibus evedtus erat, mutabili voluntate, primo adhuc anno iterum in ordinem redactus fuit.

**XXXVIII. MATHÆUS I.** electus die 12. Febr. Anno MDXLIII. Provinciam turbis non vacuam, sine curis ac sollicitudine gubernare non potuit. Praefuit tamen annis quinque & dimidio, defunctus die 10. Aug. An. MDXLVIII.

**XXXIX. GEORGIUS** *Richardus* S. Crucis Professus, ex biennali Abbate Vallis DEI Campililij postulatus, spem magnam, in quam elatus erat, iniquitate temporum obstante, implere pro voto non potuit, ex actionibus Principis nimium prementibus, quas & Religionis: diffidia, & barbarus hostis exegerant. Nostris in Instrumentis hic Praesul multam paginam fecit: qui annis octo regiminis sui sanè molesti expletis, gravem hanc sarcinam unacum vita deposuit die 26. Septembr. An. MDLVI.

- XL. JOANNES II.** cognomento *Myrle*, in pari temporum discrimine versatus, nonnisi ex horridis spinis pulchras patientiæ rosas colligere potuit, maximè cum & intra se carnifices aleret, pertinaces nimirum ac molestissimos morbos. Quibus adactus impares oneri humeros spontè subducens, ultrò cessit An. MDLX.
- XLI. MATHÆUS II.** hæres curarum magis, quàm dignitatis, quàm querulus fuerit de ære alieno Monasterium premente, de Bonisabalienatis, vel pignori subjectis, sive injuria ablatis, suâ adhuc singraphâ legimus. Conabatur tamen, utcunq̄ potuit, mitiorem Campililio fortunam reducere, idque ultra sexennium: donec eidem à morte signum pro sarcinulis datum mensè Februario Anno MDLXVII. Nemo miretur, tot Præsules in tam misera tempestate adèò parum in fortuna promovisse. Prodigij potiùs locò habendum, ita DEUM favisse Campililio, tantùmque valuissè per ejus gratiam Præsulum nostrorum virtutem, ut Domus nostra, alienas in manus non abrepta, adhuc supersit.
- XLII. GEORGIUS IV.** veteribus in Catalogis hoc epiphonemate donatur. *In aliis mediocris, in œconomia temporalium eximius fuit: nec detrectavit, minora Conventus officia supplere eo tempore, quo ob grassantem hæresim Religiosorum raritas fuit.* Substantiæ aliquando curiosior quàm animarum, ipsa Oeconomix, ex ferro Annæmontano promovendæ, contentione majus periculum suæ Domui concivit, quàm antea pauperies. Monitore enim opus habuit ipso Principe Terræ, ut & Templis & Scholis vigilantior intenderet, neque ullo deinceps modo aliorum, quàm Catholicorum obsequiis uteretur. Sensit etiam DEI correptionem, alibi pereunte per infortunia, quod alibi studio rei familiaris intemperantiore sibi accessissè gavissus erat. Sed profuit utraque vexatio, ut saperet rectiùs, & adfuit gratia DEI. Cùm namque spiritualia multùm restaurasset, à morte ejus frumenti & vini abundantia comparuit. Sub eo Serenissimus CAROLUS Archidux, FERDINANDI II. Imperatoris Parens, Campililij divertit, omniq̄ humillimi obsequij genere cultus est. Ivit hic Præsul ad judicem universorum die 7. Januar. Anno Christi MDLXXXVII.
- XLIII. LAURENTIUS Reifs** è Benedictino Mellicensi, ac ibidem Priore, primùm in Cellis Marianis Austriæ, deinde Campililij Abbas postulatus, utrobique spem de se maximam egregiè sustentavit. Redire tandem cœpit quies optatior, magis indies magisque remittentibus in Religione dissidiis, ipso Præsule nostro per mandatum Cæsaris in negotio Reformationis Concommisario. Anno MDLXXXVIII. ab Imperatore *Rudolpho II.* armis ac privilegiis Nobilium honoratus est. Primus insuper Abbatum nostrorum electus Inclitorum statuum Provincialium infer. Austr. Deputatus Ordinarius. Serenissimus: Archidux *Mathias* eum Consilio suo ad lègit. Cùm deinde Anno 1597. nova rusticorum seditione oborta, subditi quoque Campililienses Monasterium insolentia summa invaderent, per delectam militum manum, à Cæsare submissam, brevè rebellium victor evasit. Campililio comparavit Curiam Klaffenbrun, ac plurimos alios perutiles Contractus celebravit. Tandem Anno Regiminis quinto ac decimo medio die 24. Novembr. Anno

MDCI. ad meritorum coronam capessendam , non sine luctu filiorum , piissimè decessit.

*Seculum V.<sup>um.</sup> & VI.<sup>um.</sup>*

**XLIV. PETRUS II.** dictus *Rauch à Carolburg* Franco , Professus S. Crucis , ex Administratore Abbatiali Hilariensi Campililij postulatus die 28. April. Anno MDCII. *in hoc certè*, ut habent Catalogi Abbatales , *nisi in alio secundus* , quòd *brevis è procelloso statu* , *cum variè fluctuaret* , *ereptus est* , *Quinquennalis Abbas*. Præter enim æs grave & alienum , quo Monasterium adhuc è prioribus calamitatibus premebatur , præter molestiam peregrinorum Pastorum adhuc in vicinia nostra hærentium , quibus quidem strenuè obnitebatur , præter damna temporum , & noxiam Aquarum eluvionem , neque filiis cum Patre , tanquam alienigena , optimè semper convenerat. Rudolphus II. Imperator ipsi pariter , ut Fratribus Germanis , Prærogativam Nobilium , & Arma hætenus consueta auxit , ac confirmavit. Fluctibus verò præsentis temporis morte exemptus fuit die 25. Decembr. An. MDCVI.

**XLV. SIMON II.** cognomine *Rupert* , jam tum , cùm eligeretur , Campililij Senior , quindecim adhuc Annis , & supra , Abbatiali in Insula claruit , vir piensissimus , contra omnes fortunæ injurias excellè in DEUM fide , & precibus armatus. Civibus Guilelmopolitanis , qui à Sacris Catholicis desciverant , decretorium diem generosè dixit , qua vel ad Ecclesiam veterem reverterentur , vel , bonis divenditâs , solum mutarent. Disciplinæ Regularis reducendæ solertissimus , & ipse observantissimus fuit , Chorique amantissimus. Ecclesiam , in disturbio Bohemico contra *Ferdinandum II.* Cæsarem profanatam , reconciliari , & quamplurima Altaria à se erecta dedicari procuravit. Deigma suum Gentile *Mathias* Imperator , Sibi , ac Fratribus suis Germanis *Ruprechtis* , confirmavit , & ornamentis Equestribus adauxit. Tandem meritorum tam dives quàm Annorum , dimissus est à Domino in pace ad requiem sempiternam die 4. Maij Anno MDCXXII.

**XLVI. IGNATIUS** Liber *Baro de Crafft* , quem in gradum à Ferdinando II. Augusto subvectus fuit , uti ab Igne nomen traxit , ita cum igne ardere semper , lucere , & ascendere sibi solemne habuit. Nescias profectò , utrùm Patriæ , vel Ordini , vel Campililio utilior fuerit , de unoquoque immortaliter meritis : quod verò una periodo complecti non possumus. Tituli ejus sufficiant. Runæ professor , ex Præsule Neostadiensis postulatus est Campililij die 29. Junij Anno MDCXXII. Abinde instaurando Templo tam spirituali , sive Disciplinæ restituendæ , quàm Materiali , i. e. Ædificiis reparandis excitandisque totus intentus , Gratiâque Augusta suffultus , qua & Dominia Creusbacensè , atque Arabergensè , cum sede Bergoviensè , numeratâ pecuniâ Monasterio acquisivit , novi Fundatoris nomen brevi promeruit. Abbatiam novam , Conventui conjunctam , ex meridionali Monasterij latere exstruxit , quòd Filiis præsentior esse posset. Verumtamen Virtus ejus ignea , undequaque diffusa , eum spatiosum in Orbem plerumque evocavit. Semel quippe , iterum , ac tertium Vicarius Generalis in Austria , Stiria , Carinthia , Carniolia ,

niolia, Commissarius infuper Ordinis per Sacrum Romanum Imperium à Cistercio constitutus, summis Beneficiis Monasteria Cistercienſia in Palatinatu, Bohemia, Carinthia ſibi obſtrinxit, & ad æterna debita coëgit. Inclitorum Statuum Provincialium Deputatus, Cæſaris ad Ruſticos Rebelles Auſtriæ ſuperioris cum præſentiffi no Capitis periculo Commissarius, poſtea & Commissarius Bellicus, decumanis meritis hæc præmia retulit, ut Excelsæ Cameræ Aulicæ Præſes conſtitueretur à FERDINANDO II. Auguſto, Intimóque ejusdem Conſilio adleſtus fuerit. Unum *Ignati* peccatum erat, ſed ſine culpa, quòd diuturnior non fuerit, jamque die 29. Septembr. Anno MDCXXXVIII. Viennæ in cælum coronandus abiverit.

XLVII. CORNELIUS *Strauch* à moriente Patre Abbate *Ignatio* Filius planè ſibi ſimilis reliſtuserat, in quem ipſe DEUS & Natura nobiliſſimas dotes congeſſerant. Abſolutis in Collegio Romano ingenti cum commendatione ſtudiis, Anno jam ætatis octavo & viceſimo Campililij die 15. Novembr. Anno MDCXXXVIII. Abbas electus eſt. Tam juvenis tamen Viri virtus ac merita æquè pauculis lineis inſinuari à nobis minimè ferunt. Vicariatum, ac Commiſſariatum Ordinis per Auſtriam, utrámque Bavariam, Palatinatum, totúmque Romanum Imperium repetitis pariter vicibus ſibi habuit demandatum. Inclitorum ſtuum Provincialium non minùs erat Deputatus Ordinarius. Summa laudum ſuarum hæc eſt. Cùm Anno MDCXLV. cæſo Imperatoris exercitu milites noſtri, è Bohemia profugi, ſine duce, ſine lege, per Auſtriam hoſtili veluti licentia palarent, nullius monitis vel precibus parentes, victores verò Sueci à tergo inſtarent, nec eſſet qui præſentiffimo Patriæ discrimini mederi vellet, ſive auderet: enixè inploratus ab Inclitis ſtatibus Præſul noſter, decumano animo arenam ingreſſus, Annona & ſtipendiis è Monasterij ſubſtantia collectis, diſperſum militem per ſe ipſum aggreſſus, adhortatione, obſecratione, minis, comœatu, & pecunia tamdiu urgebat, ac perurgebat, usquedum eum colligeret, novúmque Exercitum inſtauraret: cui deinde Sereniſſimus Archidux *Guilhelmus*, receptis ex Hungaria ſubſidiariis, præeſſe, hoſtémque, ut Patriam, ex læva Danubij parte totam jam ferè occupatam, feſtinus deſereret, adigere poſſet. Sic ea periculofiſſima tempeſtate unus Præſul Campililienſis Patriam ſervavit. Campililio ſuo Dominium Dirnbacenſe trans danubianum, unacum Bono Beigarten, emtione adjecit. In Monte S. Annæ, ad promovendam devotionem, commodam Religioſis pluribus habitationem conſtruxit. Curiam noſtram Cleripolitanam Ædiculis vinitorum dilatavit. Anno MDCXLIX. univerſæ Viennæ inſolitum ac jucundiſſimum Spectaculum præbuit, dum in Alma Cæſarea Univerſitate uno Actu ex unico gremio ſuo ſex Filiorum tuorum ſuprema Doctoratus Theologici Laurea fecit condecorari. Quorum ab uno ſtatim eodem Anno pro publico Ordinis Bono præclarum Opuſculum, cui Titulus: *Actio S. Ordinis Cistercienſis in Antea Hungariæ Monasteria*: publicis typis evulgari juſſit. Sed ecce! in medio tantæ gloriæ ſuæ curſu nobis Viennæ ſummo cum omnium luſtu ereptus, ad patriam feſtinavit æternam, ætate quadragenarius, Præſul non omnino duodennis, die 23. Jun. Anno MDCL.



**XLVIII. MATHÆUS III.** *Kolweis* cum prioribus duobus , quibus quidem ordine posterior , neutri tamen virtute secundus erat , Triumviratum constituit Maximorum Præfulum Campililiensium. Tricenarius ad Clavum admotus , & SS. Theologiæ Doctor , electus fuit die 21. Julij Anno MDCL. Imperij sui Præfularis amplissimam Quadraginta quinque Annorum palestram perpetuis Virtutibus , & immortalibus Meritis ornavit. S. Ordinis per Germaniam Commissarium , per Austriam Vicarium Generalem diutissimè egit : semel quoque & iterum Almæ Cæsareæ Universitatis Viennensis Rectorem Magnificum : Inclitorum præterea Statuum Provincialium Deputatum Ordinarium. In Negotio reformandæ Religionis primum per partes Urbis Viennensis , deinde per Quadrantes Austriæ , tandem per omnem Austriam inferiorem , propè integro decennio Commissarius supremus , iteratis Mandatis Maximorum Cæsarum *Ferdinandi III. ac Leopoldi* , immensis curis ac laboribus , fructu verò animarum lætissimo exstitit , Apostoli Austriæ elogium non paucis nominibus promeritus. Domi Sodalitatem *S. Josephi* , hodie Archi-Confraternitatem in omni Germania diffusam , instituit. Archiepiscopali Collegio *S. Bernardi* Pragensi Superiores dedit , primosque Professores è Gremio suo : uti & Monasteriis pluribus Abbates. Plurium Cœnobiorum Ordinis in variis provinciis Bona ac Possessiones vel pignore exemit , vel funditus recuperavit. Anno MDCLXXXIII. Turcis Viennam obsidentibus , ipse jam plus quàm Sexagenarius , Campililij in bonum plurimorum animo imperterritus ac ferè heroico persistens , sex hebdomadarum obsidionem domesticam ab excurrentibus , & igne ferròque furentibus barbaris invictè sustinuit , ope Divina favente , hocque pacto non modò Monasterium , ac circumsitam Patriæ plagam , verùm etiam vicinam Stiriam à certissima invasione servavit immunem. Conventui suo Habitationem ex integro novam , Tractumque 4. laterum construxit. Professionem Jubileam nullo tunc , quod sciamus , Præfulum nostrorum exemplo edidit solemniter Anno MDCXC. Tandem senio fractus , die 9. Febr. Anno MDCXCV. devotissimum DEI sui ipsius Sacrificium , quod spiritu jugiter immolabat in vita , etiam corpore egit per mortem , famâ non moriturâ , dum quisquam Campililij vivet , cum gloria perennaturus.

**XLIX. SIGISMUNDUS II.** *Braun* Vir verè Præfularis dignus erat , qui Claritudinem Antecessorum meritis æmularetur : nisi Campililio quoque , ut omnium rerum humanarum sunt vices , nubila quædam post Phœbum imminuissent. Electus est concordibus votis die 20. Mart. Anno MDCXCV. Quo minus verò eidem fortuna secunda foret , tum quidem , cum ipse in rem nostram Vigilantissimus esse vellet , effecit , quòd ij , quorum Consilio ac ope maximè nifus erat , perfido sibi obsequio adessent : alij novo , nec forsitan noxio molimini suo , adversis machinationibus inviderent. Divites ferro montes nostros ferreo illo Sæculo , quo Successionis Hispanicæ causâ atrocissimum bellum exarsit , aureos efficere volens mercimonio bellicorum tormentorum , vim omnem Argenti & Auri , quam in fodinas , & machinas operarias profudit , irritò lucrò videre debuit in gravissimum Monasterij Æs alienum degenerasse. Quod iniquissimum fatum & famæ insolentiam provocavit , & Monasterij

nafterij quoque quietem turbavit plurimum: de quo aliàs hic Præful sanè non malè mereri studuerat. Dejecta quippe veteri Turri super tholum Ecclesiæ, dudúmque ruinam minitante, novam aliam in fronte Templi è fundamentis erexit, Choro simul æstivo locum commodum faciens. In Turri novas quinque campanas gravis ac bellè harmonici toni suspendit: Ecclesiam paramentis pretiosis instruxit. Bibliothecam ab igne tutam, pulchrèque ornatam paravit: quæ ut eò citiùs copiam Librorum referret, integram comparavit Bibliothecam Hertodtianam. In Alpibus nostris propria ingenij sagacitate pascua pro pecoribus fertilissima reperit, magno etiamnum Oeconomix nostræ emolumentò. In causâ quapiam Monasterij, trium sæculorum litibus famosa, & ambigüè agitata, feliciter triumphavit. Tractum illum, quem hodie novum ædificium dicimus, excipiendis Augustissimis Cæsareis Majestatibus, aliisque Illustribus Hospitibus, è fundamentis ad usque tectum perduxit. Quibus laudibus suis neque parvis, neque paucis, meritò accedit postremorum Annorum iuorum exemplaris in morbis patientia, ac finis tandem vivendi totus ad Virtutem compositus: quem fecit die 4. April. Anno MDCCXVI.

L. Reverendis. D. D. CHRYSOSTOMUS *Wiser*, ex Priore Abbas electus die 26. Junij Anno MDCCXVI. & etiamnum in Annum jam sextum & vicesimum Campililij sui Amantissimus Pater: cui adoranda DEI Providentia Fortunam reducem clementissimè disposuit. Qui cum ipse sibi suum Elogium sit in omnium nostrum oculis, & universæ Patriæ theatro, verbis nostris non eget. Epochas duntaxat suas memorabiles addimus. Cum fine Anni MDCCXXVIII. è Cistercio Visitator & Vicarius Generalis per Utrámque Austriam, Stiriam, Regnumque Hungariæ renunciatus est. An. MDCCXXXIX. die 13. Novembr. Jubileam Professionem egit: cui & hoc Anno feliciter currente Jubilei Sacerdotij sui solemnia, Annum Ætatis octavum supra Septuagesimum agenti, totique valenti ac vegeto, Clementissimus DEUS die 23. Julij adjunxit. Faxit idem DEUS Jubilum ejus uti trinum, ita & perfectum, ac tribuat, ut piissimo, sapientissimo, felicissimoque Regimine suo, velut hætenus, ita & deinceps, quoadusque Annum Quinquagesimum impleat, Campililium nostrum jucundissimè beet.

## T O M I III.<sup>tij.</sup>

### Conspectus peculiaris.

**T**OMO III.<sup>tio.</sup> per DEI gratiam jam confecto, cæteris autem præmissis, quia fundamentum eorum fuerat, insuper verò tantum non ad prelum parato, longè interim operosissimo, universi Archivij nostri damus *Recensum Diplomatico - Genealogicum*. Non libuit nobis è tot Methodis hodiernis Archivia cum Orbe Erudito communicandi modus ille, quo Diplomata per extensum eduntur. Ratio princeps erat, quòd Chartarum nostrarum ætas, paucissimis demtis, initia ipsius Monasterij nostri, sive Seculum XIII.<sup>tium.</sup> non superaret: cujus interim Ævi documenta, sive Literæ infinito jam numero ab aliis evulgatæ sunt. Ut  
adeò

adeò stilus earum ac formulæ, plerúmque confimiles, Eruditis jam ferè ad nauseam constant. Neque placuit, in Recensu nostro Diplornata nostra, Ordine merè Chronologico epocharum suarum, cum initio ac fine suo in medium dare: ne, quod apud alios mihi molestissimum erat, ipse committerem, quadrata rotundis permiscendò, Personásque cum Summas, tum medias, & infimas undique confundendo, operosæ interim discretionis onere in solos Lectores remisso. Tandem non etiam suffecerat mihi, Nomina in Chartis nostris celebria sola evulgare: nisi pariter, quinam illi fuerint, qui ea Anterioribus Seculis cum laude gesserunt, hodie verò à memoria hominum tantoperè remoti sunt, noviter testari, ac breviter quidem, attamen & perspicuè, quacunque demum possem, Veri vel certitudine, aut similitudine saltem edicere conarer.

Ergo post omnes Personas, infinito propemodum numero in chartis nostris occurrentes, easque non principes duntaxat, quarum videlicet ipsæ erant Literæ, sed etiam cæteras pariter, quæ inibi vel testatæ solum fuerant, sive aliàs commemoratæ, decumano labore extractas, mox illas demum, quæ memoriâ dignæ videbantur, ordinare singulas, certisque Classibus tribuere adlaboravi, ut unaquæque earum absque negotio reperiri à quolibet posset. *Binas* itaque rursum in *Partes* hunc *Tertium* similiter TOMUM dissecui: quarum Prior Personas omnes *Dignas*, quæ in Familiis quæri non solent, Posterior ipsas *Familias* redhiberet.

Idcirco *Parti I.<sup>mæ</sup>* Libros duos assignavi, inque *Primo* recensui è Chartis nostris Personas Ecclesiastica Dignitate conspicuas: *Altero* eas, quæ Politico Imperio, sive Magistratu, eoque publico, olim effulsère. Utrumque Librum Sectionibus, hasque rursùm Paragraphis partitus sum. *Parti II.<sup>dæ</sup>*, quæ Familias continet, totidem Sectiones indidi, quot Alphabeti sunt literæ: siquidem illas ordine Cognominum Alphabetico, in morem Lexici, exhibere Lectoribus decrevi. Porro cum in singulis Familiis ordinem Chronologicum exactè observem, ne Patribus Filij vel Nepotes aliquando inconcinnè antecant, nisi variæ unius Genitis Lineæ aliter postularent: in Classibus tamen *Partis I.<sup>mæ</sup>* Varium ordinem, qui unicuique æquius congruere visus est, adhibui. Optimè omnium rem explicuero, si ipsam *Tabulam* priorem TOMI hujus hic apposuerim, Sectionum omnium, itemque Paragraphorum Argumenta ob oculos ponentem, uti sequitur.

## P A R S I.

### LIBER I. De Personis Ecclesiastica Dignitate fulgentibus.

**S**ECTIO I. Summi Pontifices Romani. §. 1. Pontifices Seculi XIII. 2. Pontifices Seculi XIV. 3. Pontifices Seculi XV. 4. Pontifices Seculi XVI. & XVII.<sup>mi</sup>.

SECTIO II. S. R. E. Cardinales. §. 1. Cardinales, qui Bullæ solemnæ IN-  
NOCENTII Papæ III. Anno 1208. subscripserunt. 2. Cardinales  
subscripti in Bulla solemnæ HONORII Papæ III. Anno 1223. 3. Car-  
dinales, qui in Bulla solemnæ GREGORII Papæ IX. leguntur Anno  
1230. 4. Cardinales, quorum Literas peculiare tenemus. 5. Car-  
dinales, quorum plures conjuncti uno communi diplomate nobis  
gratiam Indulgentiarum impenderunt.

SECTIO III. Archiepiscopi, & Episcopi. §. 1. Archiepiscopi Ordi-  
ne Chronologico. 2. Episcopi Patavienfes ordine Chronolo-  
gico. 3. Episcopi maximè varij ordine Alphabetico Ecclesiarum  
suarum.

SECTIO IV. Clerus Cathedralis & Collegiatus. §. 1. Præpositi, Deca-  
ni, & Canonici Capitulares, ac Collegiati ordine Alphabetico Ec-  
clesiarum. 2. Officiales curiæ Patavientis, & aliarum Curiarum E-  
piscopalium ordine Chronologico.

SECTIO V. Clerus Plebanicus sive Ruralis. §. 1. Decani Civici, & ru-  
rales. 2. Rectores Ecclesiarum, Plebani, & Parochi. 3. Capella-  
ni, aliique Præsbyteri.

SECTIO VI. Clerus Curialis. §. 1. Doctores & Professores, negotiis  
Sacris forensibus intercedentes. 2. Cancellarij, Protonotarij, &  
Notarij Principum. 3. Notarij Publici Authoritate Pontificia, &  
Cæsarea.

SECTIO VII. Clerus Regularis, & primùm Abbates Cistercienses. §. 1.  
Abbates Generales Cistercienses. 2. Abbates Cistercienses Galliæ.  
3. Abbates Cistercienses Germaniæ. 4. Abbates Campilij Antiquio-  
res. 5. Recentiores.

SECTIO VIII. Abbates, Præpositi, & Superiores variorum Or-  
dinum. §. 1. Abbates & Conventus Benedictini. 2. Præpositi,  
& Canonice regulares. 3. Magistri, & Commendatores Ordi-  
num Militarium. 4. Superiores & Conventus Carthusiano-  
rum, Minorum, Prædicatorum. 5. Moniales variorum Ordi-  
num.

## LIBER II. De Personis Politica Dignitate con- spicuis.

SECTIO I. Imperatores & Reges Romani. §. 1. Imperatores Seculi XIII.  
2. Seculi XIV. 3. Seculi XV. 4. Seculi XVI. 5. Seculi XVII. &  
XVIII.<sup>vi.</sup>

SECTIO II. Reges Hungariæ, & Bohemiæ. §. 1. Diplomata *Otocari* Bo-  
hemiæ Regis, Austriam tenentis. 2. Reges Hungariæ.

SECTIO III. Marchiones, Duces, & Archiduces Austriæ. §. 1. Mar-  
chiones, & Duces Babenbergici. 2. Duces Austriæ Habsburgici Se-  
culi XIII. & XIV. 3. Item Seculi XV. ac posteriorum.

SECTIO IV. §. *Unicus*. Duces Bavarie, & alij.

SECTIO V. §. *Unicus*. Communitates Civicæ, & oppidanæ ordine Alphabetico Locorum.

## P A R S II.

Familiæ Illustres, Nobiles, Equestres, Ingenuæ, memoria dignæ.

SECTIO I. Familiæ, quarum cognomina inchoant ab A. triginta. §. *Intercalaris*. Domini de Altenburg genealogicè deducti.

SECTIO II. Familiæ in B. tredecim.

SECTIO III. Familiæ in C. septem & quadraginta.

SECTIO IV. Familiæ in D. viginti.

SECTIO V. Familiæ in E. tres & triginta.

SECTIO VI. Familiæ in F. septem & viginti.

SECTIO VII. Familiæ in G. sexaginta duæ.

SECTIO VIII. Familiæ in H. septuaginta & una. §. *Intercalaris*. Domini de Hohenberg genealogicè deducti.

SECTIO IX. Familiæ in I. duodecim: è quibus Genealogia DD. Comitum ab Jörger ex Archivio Domestico communicatur.

SECTIO X. Familiæ in K. viginti quinque.

SECTIO XI. Familiæ in L. quadraginta. §. *Intercalaris*. Domini de Lilienfeld genealogicè deducti.

SECTIO XII. Familiæ in M. tres & quinquaginta.

SECTIO XIII. Familiæ in N. septendecim.

SECTIO XIV. Familiæ in O. sedecim.

SECTIO XV. Familiæ in P. tres & nonaginta. §. *Intercalaris*. Domini de Pilichdorf genealogicè deducti. Adduntur Familiæ in Q. geminæ.

SECTIO XVI. Familiæ in R. una & quinquaginta. §. 1. *Intercalaris* Familia de Ramstein genealogicè deducta. 2. DD. Afini in Ottenstein, Raftenberg, & Hohenstein genealogicè tentati. 3. Ramus Ramsteinio-Ronbergicus & Rotensteinus genealogicè deductus.

SECTIO XVII. Familiæ in S. quinque supra centum. §. *Intercalaris*. Familia DD. Comitum de Schaunberg exactiùs illustrata.

SECTIO XVIII. Familiæ in T. quadraginta duæ.

SECTIO XIX. Familiæ in V. una & triginta.

SECTIO XX. Familiæ in W. septem & quinquaginta. §. 1. *Intercalaris*. Domini de Walfée genealogicè deducti. 2. Item

DD. de Ramstein & Weiffenberg. 3. Item DD. de Altenburg & Wildeck.

SECTIO XXI. Familiæ in Z. viginti & una. §. *Intercalaris*. DD. de Zinzendorf genealogicè emendati.

**R**ecensum ipsum Diplomatum quod attinet, Chartas singulas per brevissima Summariola describo, quantum opus est. Quorum initium undique fit à Nomine, Cognomine, & Agnomine, atque Elogiis ejus, vel eorum, quorum est Charta, vel quorum ea meminit: quæ Originalis Diplomatis phrasi ubique exprimuntur. In medio describitur, vel innuitur negotium, quod gestum est, aut cui quis saltem ut testis intervenerat, ad minimum verbulô: unde pateat species Contractus & Instrumenti. Quod si pro Testibus inter cæteros laudentur Fratres, Propingui, Cognati, Agnati, disertè eosdem, omiſſis reliquis, qui alibi suis in literis Alphabeti occurrent, diligenter exprimo, ut constet, quibuscum aliis Familiis, magis minúsve celebribus, Gens quæpiam Sanguinis vinculo cohæterit: quod ad ampliorem Familiarum cognitionem non minimum conducit. Postremò subſignatio Chartæ caractere distincto adjungitur, verbis propriis Diplomatis, si illa peculiaris fuerint: alioquin brevitatis causâ, utque circuitio longior ferè ordinaria & inutilis vitetur, stilo hodierno. Vernaculas Chartas, utut Summariola omnia latinè construxerim, facilè tamen se prodent ex initio sive nominibus, v. c. *Jörg* vel *Chuntz* &c. item è subſignatione, uti: *Ze Wiennen*, *Ze Liernveld* &c. Datus horum Summariolorum unum & alterum exemplum è Parte II, de Familiis ilico ex Litera A.

ULRICUS *de Abensperch* Testis in Privilegio HENRICI Comitis Palatini Rheni, & Ducis Bavarix. *Apud Lantzbutam die S. Georgij Anno MCCLXXXVI.*

MERT (Martin) *Aichsteter*, cum Filia CATHARINA innupta, vendunt nobis dimidiam Curiam Scheibesecke. *An unser Fraun Tag ze der Liethmezze Anno MCCCXXXII.*

**Q**uoniam verò hæc Summariola, per omne Volumen caractere majori exprimenda, seduntaxat ad instar corporis habent: superest, ut jam de Anima quoque eorum, sive *Illustrationibus* additis, verbum aliquod faciam. Hæ autem vel ex eo jam capite perdifficiles mihi erant, quòd adeò varius Lectorum sit genius. Docti namque, & in omni disciplinarum ad hoc argumentum attinentium genere probè subacti, onerari nolunt Voluminibus grandibus: sed pauca, at verò excepta, singularia, reconditæ indaginis, & quidem tam breviter quàm solidè illustrata æquo oculo cupiunt. Vulgaria porro, & apud se trita, vel ab aliis dudum reſecta, iterum recoqui fastidioso planè stomacho ferunt. Tirones è converso, cum omnia propè ignorent, neque noticiam habeant vel copiam Librorum, quos consulant, lampadem sibi ad singula suspendi impensè efflagitant. Sed Operi nostro propositum erat, Eruditis Veritatem, Tironibus exemplum ministrare. Curabam igitur, primorum in gratiam tam brevis tamque singularis esse, quàm poteram: in emolumentum verò minus exercitato-

citatorum , industriam tamen meam laudabiliter æmulari cupientium , amica cum Doctorum Virorum venia , tam perspicuus fieri , atque liceret. Multitudo interim illustrandorum ad iustum me Tomum coëgit.

Harum porro *Illustrationum* hæc ferè est ratio. *Prima* in *Partis* utroque *Libro* Sectionibus singulis *Prænotio* præmittitur : quæ Lectorem edoceat de iis Capitibus , ad quæ se in decursu eadem Sectio sæpius refert. Ita v. c. in *Prænotione* Sectionis I.<sup>mæ</sup>. quæ recenset Summorum Pontificum Bullas , præviè moneo , quotuplicis generis esse soleant Literæ Papales ? quid Bulla ? quæ earum Solemnitates ? quæ Sigla ? quæ Signa ? quæ Monogrammata ? quid Annulus Piscatoris ? quæ difficultas in recta tractatione Bullarum Pontificalium ? & quomodo illa tollenda ? Sic in aliis Sectionibus alia attinentia præmitto.

Subjunctis deinde in Notis ipsius *Recensus* , compendio ago , quo possum , brevissimo. Excerpto ea , quæ fortè in Chartis singularia sunt , doctamque observationem merentur , stili formulas , voces peregrinas , sensus graviores , clausulas legales : & si luce indigeant , qua denique possum , illustro : si Critici exposcant , edico , quæ sentio. Personas insuper , ac Loca , minimè sine Illustratione pertranséo , potissimum verò de Ecclesiarum ac Monasteriorum Foundationibus , quod utile judicabam , affero , ac nisi eadem de novo doceam , Eruditis in memoriam saltem iterum revoco : ubi tamen omnium minimè modestæ Criseos obliviscor. Tandem & Sigilla vel nostra , vel ex aliis adducta , suis è Tabulis allego ubique , describo , & ubi fuerit opus , expono , aut cum aliis conféro. Similiter quoque Personas , nostro ex Archivio recensitas , si alibi quoque occurrerint , qualiter ibidem , & quo loco commemorentur , Lectori Erudito studiosè subindico. Neque enim nostrum tantummodo Archivium integrum coram Eruditis recensendo afferre constitui : verum etiam , ut Veritati ampliora suffragia ferre , Historiæ Patriæ lumina illustriora accendere possèm , Chartas nostras cum vicinis quoque Archiviis , hætenus vulgatis , operosè conferre satégi.

*Partem II.<sup>dam</sup>*. methodo eadem , qua primam , illustrare contendi. Cuilibet namque amplioris olim Nominis Familiæ , maximè quæ ex Antiquissimis erat , cuiusque plura nomina laudanda habebam , *Prænotionem* pariter anteposui : ubi generaliter de ea dissero , aliorum Traditiones adduco , & sicubi res tulerit , confirmo , aut refello. Fata præterea ejusdem , laudes , decora , munia splendida , Deigmata , ac tandem defectum , qualiter in his omnibus sapere mihi ipsi licebat , compendio percurro. In notulis verò subjunctis singularia Chartarum excerpto , quantum , & ubi id visum est. Nonnullas Chartas non prolixas , lecturæ digniores , integras adscribo. Filum Genealogicum aut è nostris , vel aliorum Archiviorum Chartis , quantum undique licet , sollicitè curo. Sigilla præterea expono : ac tandem ex Historia cuiuslibet Gentis , quæcunque noveram , tutoque , ac breviter , & opportunè afferri à me poterant , annecto , sine excursibus nihil in rem conferentibus. His porro in omnibus sine

testimonio vix aliquid refero : quidquid tamen adduco , nisi fundamento diplomatico , vel invicta nitatur Auctoritate , nullibi assero . próque asserto velim haberi . Ne nihilominus frequentius conijcere cogerer , cavere non potui : rursum autem nihil eorum , quæ fateor coniecta , pronuncio .

Atque sic descripta hætenus ratione , Lectoribus , ut reor , commodissima , qualique nemo hætenus alius , quod sciam , confimile opus instruxit , præter ingentem Personarum Dignarum numerum , Familias Nongentas octo & Sexaginta tum Illustres , tum nobiles , vel Equestres , aut Ingenuas saltem , sui que memoriam promeritas in lucem revindico . Parem præterea Sigillorum numerum manu mea ex meris Originalibus pictorum , ac cura mea , sumtibus verò liberalibus Reverendissimi D. Præsulis mei , per Sculptorem ad nos advocatum , actu jam æri accuratè incisorum , in medium protuli , satis , ut reor , honestam unius Archivii Supellestem . Neque tamen propterea , quis in hoc opere nostro univertæ Austriæ Genealogicam præstoletur Illustrationem . Non enim de omnibus Familiis Patriis ago , sed solummodo de iis , quæ in Chartis nostris occurrerunt . Has verò & ipsas neque repeto altiùs , neque longiùs deduco , quàm Chartæ nostræ , vel aliorum Archiviorum hætenus vulgatorum , me de iisdem agere permisérunt .

In qualecunque interim Specimen *Illustrationum* , huic *Recensui Diplomatico-Genealogico* à me additarum , ex quam plurimis observationibus , Disquisitionibus , & Emendationibus Criticis , illic occurrentibus , pauculas duntaxat aliquas sequentes Lectoribus Eruditis præinsinuo .

## EXCERPTA.

### E

Tabula II. TOMI III. quæ exhibet Illustrationes, Observationes, Disquisitiones, & Emendationes Criticas præcipuas.

**A** pud *Ughelli* Italiam Sacram restituuntur plures Episcopi.

Plurium celebrium Monasteriorum , & Canoniarum Catalogi Præfulares , hætenus vulgati , in multis sive notantur , sive supplentur .

Celeberrimi Mellicij Epochæ præcipuæ hætenus latentes ab ORTILONE nostro proditæ .

De Ordine Equestri S. Georgij in Austria Disquisitio : ubi pariter de Equitum S. Georgij Societate Templois in Ecclesia Aulica Viennensi , quæ dictum Ordinem præcessit , ferè ab omnibus hætenus ignorata .

Celeber-



Celeberrimi quondam Parthenonis Cisterciensis ad S. Nicolaum Viennæ extra Portam Scotensem Historia discutitur. Item Parthenonis æquè olim nostri ad S. Spiritum in Ybbſa. Item tertij ad S. Bernardum. Item quondam Monialium ad S. Hieronymum Viennæ.

Disquisitio, utrùm Alaudæ fuerint Inſigne Veteris Auftriæ? Item de Titulo Archiducis.

Illustratio caudæ Pavonis, olim apud Habſpurgicos Auftriæ Duces Galeæ coronatæ in Sigillis & Armis locò Apicis impositæ.

De Sigillo Tulnæ Urbis Criterium.

Annulus Piſcatoris Pontificius, viſu rariffimus, ex Originali pictus, & deſcriptus.

DD.<sup>orum</sup>. de *Arberg* Familia ſub finem Seculi XIV. quo eam *Lazius* in Auftriam adveniſſe tradidit, hîc loci jam defeciſſe ostenditur, & qui deinceps innotuerunt *Arbergici*, penitus aliena Stirpe fuerunt.

DD.<sup>orum</sup>. Comitum *de Hardeck* primæva & vetuſtiſſima Stirps non fuit extingta in *Ottone* & *Chunrado* Fratribus, ſed poſt eos ſuperſtes erat *Henricus*, nulli hætenus Genealogorum cognitus, à nobis inviçtè aſſertus.

Celiſſima Domus *Liechtenſteinia* de Nicolſpurg non à Chunringiis deducenda.

De Paltramo Vatzone Conſule Vienneniſi, ejusque Filio Rudigero Crifis.

In Catalogis *Lazianis*, & Codice Auftriaco Nobiliſſimi Domini *de Quarient*, ſupplendi quatuor Conſules, ac totidem Prætores Vienneniſes, cum uno Præfecto Senatus.

D.<sup>na</sup>. MARGARETÆ Romanorum & Bohemorum Reginae, Duciffæ Auftriæ ac Stiria, Filia Fundatoris noſtri, Historia Criticè inſpecta, & à criminationibus vindicata.

HÆc interim paucula de plurimis ſufficiant. *Recenſum* porro finitum in calce hujus *Tomi* adhuc excipiunt *Appendices* geminae. Prior exhibet *Monumenta* noſtra *Sepulchralia* hodie exſtantia: Poſterior *Excerpta Necrologij* ſiſtit, reſectis inutilibus omnibus, & omiſſis Familiis, in *Recenſu* jam lectis. Et *Monumenta* quidem noſtra ſtudioſè quoque à me illustrata ſunt: quod in *Necrologij* Excerptis, cum operæ pretium haud ſatis videretur, parciùs factum eſt.

Fortè verò jam aveat Leſtor Eruditus audire ex me, quam eidem pollicear ſpem de perfectione Faſtorum noſtrorum, & quæ in tempora lucem illorum publicam aſſignem? Idipſum verò ne mihi quidem hætenus liquet. Hoc profiteor, ſi benigniſſimus DEUS vitam mihi & ſanitatem, atque Charæ Patriæ, ipſique Campililio quieta tempora indulſerit, me Operi, cui me aliàs Obedientia Sa-

cra defactò uni & soli adstringit, irremissa industria institutum, atque in fiduciam ingredi, postremo hoc TOMO, qui plurimùm laboris conquiendo, pingendo, componendo, describendo à sola manu mea poposcerat, gratiâ DEI intra triennium perfectò, ambos anteriores eodem saltem temporis spatio à me posse absolvi. Sat citò egerim hoc pacto, modò pariter fat benè.

F I N I S.





